



**Friderici Furij Caeriolani Valentini Bononia, siue de Libris
sacris in uernaculam linguam conuertendis, Libri duo : Ad
Franciscvm Bovadillivm Mendozium, Cardinalem Burgensem.**

<https://hdl.handle.net/1874/430002>



22

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

109

0

22



DOMINUS


CONSTITUIT
ALDOBRANDI

109

0

20






Biblia et interpretes


Octavo n^o. 424

Kast 109
pl. 0 n. 22

manu...
Hymu...
kar...
Suz...
to...
un...
is...
oia...
un...
v...
is...
f...
m...
io...
o...
f...
m...
e...
u...
u...
g...
n...
s...
p...
m...
c...

tr
p
z
m
t
u
u
t
t
e
u
y
u
e
e
e
g
e
t
t
m
t
t
u
o
o





N. 12. A.

Friderici Furij
CAERIOLA-
NI VALENTINI

BONONIA, siue de Libris sacris
in uernaculam linguam conuer-
tendis, Libri duo;

AD

FRANCISCVM BOVADIL-
LIYM Mendozium, Cardinalem
Burgensem.

ex dono Buckely

BASILEAE, PER IOAN-
nem Oporinum.



LIBER ALLOQVITVR

Franciscum Cardinalem.

Magne Mendozi, referam ne toruos
Hostium uultus, mihi qui cruento
Ense terqus dilacerant malignè, &
Viscera nudant?

Eloquar: Scribae, Pharisei, Judas,
Caiaphas, Pilatus, & omnis orbis
Iudeorum perdere me laborant
Arte dolosa.

Hei mihi, eheu quàm premor, urgeorq;
Innocens. succurre Pater, mihiq;
Fer, rogo te, suppetias, opemq;
Ocyus auxi.

FRIDERICI FVRII
CAERIOLANI
VALENTINI

BONONIA, siue de libris sacris in uer-
naculam linguam conuertendis,

Liber primus:

Ad FRANCISCVM BOVADIL-
LIVM Mendozium, Cardinalem Bur-
gensem.



QVAESTIO est diu mul-
tūq; Frācisce Cardinalis
amplissime, agitata, nec fi-
nita tamen usq; liceat ne
sacras literas in uernacu-
lam linguā uerti, nec ne
liceat. Vernaculā linguā

sic intellige, ut Hispanis nostris diuinæ lite-
ræ Hispanicè loquantur, Italis Italicè, Gallis
Gallicè, Germanis Germanicè, atque ita na-
tionibus cæteris deinceps. Magna uerò hæc
quæstio est, atq; haud scio an alia cognitio-
ne dignior, tum propter eius dignitatē, tum
utilitatem, tum etiam propter incredibilem
hominum ea de re dissentientium multitudi-
nem & uarietatem. Nam ut de dignitate pri-
mū dicam, cum officij nostri sit, omnes uite
nostræ actiones & consilia ad Dei uolunta-
tem instituire, nulla hominis magis propria
a 2 cognitio

cognitio uidetur, quàm ea, quæ diuinã mentem non solum studio ac diligentia inquirat, uerùm etiam fideliter aperit atque docet. Et monumenta quidem ueterum philosophorum, quæ Græcis & Latinis literis continentur, nosse, præclarũ ducimus, & gloriosum: at quanto præclarius & gloriosius fuerit, æternam Dei uoluntatẽ è sacrorum librorum monumentis eruere, habereq; perspectam: Illud quidem uoluptatis est, hoc summæ cuiusdam necessitatis. Illud si negligas, humanas præceptiones negligis: hoc uerò si abijcias, diuina præcepta abijcis. illius quidem ignoratio aut nihil, aut parũ adfert mali: huius uerò ignorantia tristissimam defert calamitatem, atque ad eò interitum animi sempiternum. Itaque omnis de Deo, deq; eius uoluntate suscepta disputatio (modò ne quid impiẽ, aut sine uia & ratione disseratur) ea non potest non esse cognitione dignissima. Quid autem, nostra hæc de libris sacris conuertendis quæstio, non ne in Dei sententia cognoscenda uersatur? Versatur. Nam primum quicquid ab ijs stare, qui libros sacros in uulgi sermonẽ transferri debere negent, attulimus: deinde, quæ fuerãt adducta propositaq; certissimis argumentis & rationibus diluimus: in quibus diluendis, uera & germana Dei ea de re sententiã apertissimẽ ostenditur. Quanta uerò utilitas illa est, habere
in dubijs

in dubijs opinionibus, quid ueritati sit consonum, quid repugnans, quid retinendum, quid reiſciendum: Et in cæteris quidẽ rebus, præclarisq; artibus, quæ multæ sunt ad hominum utilitatem excogitatæ, magnæ sunt & excellentes commoditates & utilitates: sed ea quæ in dubijs aperiendis, falsisq; opinionibus refutandis uersatur, tanta mehercules est, ut cum reliquis comparata, eas longè superare uideatur. Quod tamen & multis & magnis firmisq; rationibus hoc loco probari potest, tamen ne longior sim iusto, id ego nunc tantũ argumentis ab ignoratione desumptis, confirmandũ putauĩ. Etenim quum labi, errare, decipi, falli, turpe sit homini, & ad priuatas & publicas rationes perniciosum: constantes habere & firmas de unoquoque rerũ genere opiniones, sicq; eas cognouisse, ut & omnẽ sibi dubitandi occasionem & alijs adimat, uitetq; errorem, lapsum, deceptionem: hæc inquam animo comprehensa tenere, ad omnẽ humanæ uitæ cursum, summæ cuiusdã est utilitatis. Nam ut rerum ignorantia perniciosissima semper detrimẽta attulit, sic per rerum sunt cognitionẽ egregia in Rempub. emolumenta importata. Repete memoria historias & superiorũ temporum, quas multas tenes, & nostræ etiam ætatis turbulentissimas tẽpestates pro tua prudentia considera: uidebis, certò scio, omnem imma-

nem uentum, omnes tortuosos turbines, omnes horribiles procellas, ab ipsa illa inscitia flare ac reflare, uersari ac torqueri, excitari ac perturbari. Talibus incommodis necesse est tandiu Resp. uexetur & afficiatur, quandiu homines habeant uagas, errantes & anticipites rerū opiniones. Vbi enim quid pro incerto habetur, illic disputatio esse solet: disputatio autem (quæ est imperitorum hominum futilitas & uanitas: existimant enim, certamen se in disputando pro fama & honore, aut fortunis suscipere) studium habet partium, alteri ut uincant, alteri ne uincantur: utrinque certè hoc animo pugnatur, ut euadant superiores. Hinc existunt, seminariū malorum omnium, dissensiones, cōtentiones, maledicta, probra, factiones, sectæ, odia, iurgia, pugnae, cædes, interniciones, euerisiones & urbium & populorum. Utinam utinam hinc uanus essem, neque hanc orbis calamitatem & interitum uerè deplem. Hunc ego locum si ornatè, si copiose splendideque tractare uelim, singulatimque omnia ignorationis damna exponere, citius me tempus, quam uerba defecerint. Verum satis est perspicere ex paucis his, quot quantaque incommoda ex dubijs hominum opinionibus nascantur, ut quæ, ex huius meæ disputationis labore, qui incertas & uagas opiniones de hominum mentibus tollit, inseritque constantes & firmas: quæ, inquam,

quam, utilitas percipi possit, intelligatur. Sunt enim rerū toto inter se genere dissidentium cōtrarię tributiones & effecta. Iam uerò, multitudo & uarietas hominū de interpretandis sacris literis disceptantiū, quanta est? Scilicet hæc una quæstio theologorum animos multum exercet & angit: hæc fecit, ut sæpe in unum locum multi & graues theologi conuenirent, disputarentq; in utramq; partem, quid è republica esset Christiana retinendum. Nec iurisperiti huic quæstioni pepercerūt, nec medici, nec philosophi, nec dialectici, nec grammatici: omnes in hac parte theologi esse uolunt. Venit etiam in uulgi sermonem hæc quæstio. De hac sermo instituitur inter opifices, de hac disputat carpo cum aduentoribus, de hac est interdum contentio fabris inter se, hanc tractāt infirmi quicq; & domi & foris, siue sedeāt, siue stent, siue fallendi tædij gratia, deambulent. Quid uerò de foëminis dicam? An nō, ut est loquacissimum animal, etiam eæ de conuertendis Biblijs disputant? Vidi ego Lutetiæ matronam quandam honestam, quæ me præsentem, cum doctore theologo, & quidē Parisiensi, hac eadem de re, id est, de interpretatione Bibliorum, multis uerbis contenderet: cui ille ne uerbum quidem ad ea quæ proponebantur, sed illud pro responso dabat, Colus & fusus arma muliebria. Hic mulier scitè & dere-

pentē, inquit, Clitella & capistrum arma mul-
 lorum. Hoc dicto līs finita est, & doctor à
 matrona discessit. Hæc à me ideò dicuntur,
 Franciscæ Bouadillī, ut intelligas, quousque
 progressa sit hæc de conuertendis diuinis li-
 bris quæstio, cùm imbecilla & delicata mu-
 lier, tam cōfidenter aduersus doctorē theolo-
 gum loqueretur. Quid? num ij omnes qui-
 bus hæc quæstio multum in ore est, idem iu-
 dicant? Profectò si unquā aliàs, hic maximè
 locum habet prouerbium illud, Tot capita,
 tot sensus. Quam ego sententiarum uarie-
 tatem hinc arbitror emanare, quòd ad arbi-
 trium quisq; suum cùm de multis alijs, tum
 præcipuè de hac quæstione librorum inter-
 pretandorum iudicet, nec quænam sit Dei
 uoluntas consideret. Nam cum sit Dei mens
 & uoluntas una, simplex, sibiq; modis om-
 nibus cōcordans, eam si sequeremur omnes
 in iudicando, una esset omnium hominum
 sententia, una uox, nec tantopere alij ab alijs
 dissentiremus. Sed rapimur temerario quo-
 dam impetu ad iudicandū, nimis sumus no-
 bis ipsis chari, plus satis fidimus nostris uiri-
 bus, humana non diuina ratione, dubia, si
 qua sunt, soluimus, examinamus, pondera-
 mus. Ex eo postea cogimur uariare & quasi
 sortiti sententias. Sed de hoc satis: ad uarie-
 tatem redeamus. Tam uariæ atque incertæ
 sunt de libris sacris cōuertēdis opiniones, ut
 nihilo

nihilo ferè plus imperita multitudo, quàm theologî ipsi dubitent. Multa enim in hanc sententiam ab ipsis theologis quotidie disputatur, tum priuatim in sermone quotidiano, tum publicè in his quos ipsi habent conuentus. Nec Galli, nec Itali, nec Hispani, nec Britannî satis bene cõueniunt: quandoquidem, tametsi idem iudicent in speciem sæpenumero, re tamen ipsa discrepant, quòd causas afferunt alijs ab alijs dissidentes. Nec si singulos interrogas separatim theologos, cuiusvis nationis sint, eandẽ tibi reddẽt causam, quam obrem libros sacros ad promiscuæ multitudinis usum non debere uerti putent. Nec loquor hîc de proletarijs (ut ita dicam) theologis: sed de his, quorum humeris creditur uniuersus orbis fulciri & sustentari. Quin etiam non rarò unum & idem theologorum collegium alijs nationibus uersos in suã linguam diuinos libros permisit, alijs interdixit omnino. Recte ne id, an secus, nũc haud disputo: id tamen fieri solet. Neq; pro minima uarietate habenda est, illa populi cum theologis repugnantia. Nam cum sæpe sub grauissimã pœna cautum sit nonnullis in locis, ut ne quis libros sacros de Latinis ueraculos factos aut imprimeret, aut uẽderet, aut emeret, aut legeret: populi tamen certo quodam studio factum est, ut publicè imprimantur, uendantur, emantur, legantur: idq;

illis ipsis, qui uetuerant, tacito consensu approbantibus, uel saltē dissimulantibus, uel conuiuentibus. Tanta est rei uarietas. Quæcum ita sint, si qua est homine digna quaestio, hæc quidē erit dignissima: si qua habet utilitatem, hæc utilitatē affert, & oblectationem: si qua multorum animos anxiet, hæc quāplurimos malē torsit, & torquet adhuc: si uspiam uariatum est, in hac quaestione uariatur, nunquam cōquiescitur. Et quantum ego de multorum tum sermone, tum lectione intellexi, tres sunt hominum opiniones hac de re concertantium. Vna ineptissima quidem, & hominum imperitissimorū, qui iudicant diuinas literas in uulgi linguā uerti non licere: nefasq; ducunt ac uitium excrandum, si quis transferri oportere arbitretur. Altera opinio multo est quā prima moderatior, hominum de Repub. Christiana sollicitorum, iudicantiumq; uerti quidem licere, modò ratio habeatur & temporis, & loci, & hominum: in qua sententia & schola Sorbonica est, & Louaniensis. Hi ergo omnes qui secundam approbant sententiam, fatentur uno ore, non malum esse exprimi in uulgares linguas sacram scripturam: sed quod per se non sit malum, interdum id hominum uicio, aut loci contagione, aut temporum iniquitate fieri, ut malū & sit & uideatur. Ex quo fit, ut uerti interdū non liceat: interdum

uerti a-

uerti apud alios, legiꝫ liceat: interdum nec uerti nec legi apud alios liceat: sicꝫ alijs traductio bona est & fructuosa, alijs mala & pernicioſa. Tertia opinio est eorum, qui animum induxerunt, uerti ſacras literas in cuiuſꝫ nationis uernaculã linguam oportere, nulla habita ratione neꝫ loci, neque temporis, nec perſonarum: quam ſententiam non modò pugnaciffimè defendũt, ſed & ſecundam etiam conantur tollere, extrahereꝫ radicĩtũs. Porrò autem de tribus hiſ ſententijs opinionibusꝫ, prima iam diu exploſa eſt: ſecunda & tertia magnas habent uires, magna præſidia, multos & ſtrenuos utrinꝫ & oppugnatores, & propugnatores. Et ſecunda uerò, tametſi magnam habet apud me authoritatem propter eorum doctrinam admirabilem, qui eam defendunt: tamen tertia mihi ſententia multo eſt charior, quòd, niſi me animus fallit, argumentis certiffimis firmiffimisꝫ innixa, & ueritati propius accedere uideatur. Hinc factũ eſt, ut in ſermone quotidiano & domi & foris, & priuatim & publicè (quoties res tulerit) multis audientibus, ac uerò etiam reclamantibus, huius ego ſententiæ cauſam deſenſionẽꝫ ſuſceperim, meꝫ fuerim unum de ijs profeſſus, qui nolim eam deſertam iacere, atque proſtratam. Quod cùm ſæpe aliàs, tum feci præcipuè apud Bononiam, uirum in primis doctũ, tibi

non

non uulgariter notū, & mihi amicissimum. Nam cū ad eum certis de causis aliquot Hispani uenisset, cū multa ego alia in eo confessu, qui erat satis frequens, disputauit: tum constanter affirmauit, sacras literas in uniuscuiusque nationis uernaculam linguam uerti oportere. Et Bononia adhuc: Non sana, inquit, ista mihi uidetur oratio. Tum ego, lube, inquam, accersi medicum, qui morbi causas & effecta consideret, pulsum tentet, medicinam faciat, sanitatē restituat. Rursum ille: Mihi, inquit, suspectus fuerit, quicumq; ista dicat. Hic ego iracundiam & linguam reprimens (non enim poteram æquo animo ferre tale responsum) quicquid illud erat scommatis & doctori, & Rectori (est enim, ut scis, Rector Louaniensis) & amico condonauit. Et, nemo, inquā, tibi huius meæ sententiæ nomine suspectus uideri debet, & ego quidē multo minus herclē. Nam & anteactam uitā sic (Deo gratia) uixi, ut de me turpe & flagitiosum suspicari quicquam, nisi maliciosus, possit nemo: & in ea sum sententia, quæ ita uera est, ut si quæ sunt huic repugnantes, illæ reijciendæ, hæc mea retinenda uideatur. Tum ille: Non, inquit, à me ista dicuntur in eam sententiam, ut te accusem, aut damnem, aut reprehendam: sed ut uideant reliqui quotquot adsunt, me tibi ista de sententia opinioneq; nō consensisse. Ego enim
neq;

neq; tibi assentior: neq; tu istam sententiam, si res postulet, poteris defendere. Tanta est enim magnitudo & uis argumentorū, quæ animo meo, hoc eodem temporis momento, aduersus te sententiamq; tuā occurrūt, ut & nulla quāta cunq; arte eis responderi possit: & te mirer in tanta multitudine argumentorum (est enim numerosa) nullum de illis prospexisse. Atq; ego: O te, inquā, foelicē, cui tale obtigit ingenium. suppetunt tibi argumenta uberrimē, & quidem, ut dicis, firmissima certē, & cōstantissima, scilicet Gordiani nodi: talem te semper finxi. Noli igitur ista quæcunq; tibi animus abundē suppeditat, nos celare, quod est inuidiæ, aut maleuolentiæ: sed nobiscū illa familiariter cōmunica, ac potius nos doce, quod est ingenui animi, & eius qui charitate teneatur: quod à theologia professio, in qua tu mirificē uersaris, suo iure petit ac flagitat. Quod ut facias, & meo te, & omnium quicumque adsunt, nomine, etiam atque etiam rogo oroq;: nemo est enim (opinor, saltem coniecturam facio de me) quin libentissimē sit ista de re auditorus: præsertim ex Bononia, cuius non uulgaris eruditio ex omnibus partibus se ostendit his in libris, quos superioribus annis in lucem protulisti. Ad hæc ille: Vtinā, inquit, talis sim, qualem me prædicas, ut possim uestris omnium uotis abundē satisfacere, &

tuæ

tuae de me opinioni respondere. Verum in
humanum est, amico honesta postulanti, quicquam denegare: turpe, officio non satisfacere: flagitiosum, ueritatem agnitam, cum res & tempus postulet, aut tacere, aut celare, aut dissimulare. His igitur, Cæriolane, de causis & uniuersis & singulis adducor, ut tibi uelim in presentia morem gerere. Quare, si eadem est uobis omnibus mens, ut dicis, si idem animus, si eodem desiderio tenemini, accingar protinus ad istam disputationem. Hic cum reliqui omnes una uoce id sibi gratissimum futurum significassent, sic est Bonaonia exorsus: Sequar Cæriolane, tuas de Rhetorica præceptiones: totam disputationis nostræ dictionem in partes tribuam: terminos mihi præfiniam, quibus tanquam carceribus includar, extra quos egredi tamen uelim, non possim, ut & mihi certa sit dicendi ratio, & uobis audiendi. Nego sacros libros, Cæriolane, in uulgares linguas uerti oportere. ab hac opinione tu longe dissentis. Ostendam primum, quamobrem uertantur causam nullam esse: deinde aperiam, multis magnisque de causis uerti non debere. Hanc bipartito factam meæ disputationis diuisionem, quaeso uos (omnes autem respiciebat) memoriæ mandetis: nam melius sic quaecunque dicentur, intelligetis, & facilius memoria cōseruabitis. Ego operam dabo & efficiam,
ut quæ

ut quæ duæ sunt à me propositæ disputatio-
 nis partes, breuiter & uno quasi anhelitu
 percurratur. Nulla est causa cur sacra scriptu-
 ra uertatur in uernaculas linguas. Quis hoc
 nõ uidet? Nam neq; ad docendũ, neq; ad di-
 scendum cõfert. Quare ista dico? Quia docẽ-
 darum rerum diuinarũ munus & officium non
 cuius committendũ est, sed his qui diu se &
 multum in libris sacris exercuerũt, quorũq;
 spectata doctrina & morum integritas, eos,
 penes quos sunt, ornant & cõmendant. Sic
 Christus non prius Apostolos suos ad do-
 cendum Euangelium misit, quàm essent o-
 mnia ad tale munus necessaria, edocti: &
 haberet eorũ doctrinã exploratam. Et quan-
 quam Christus nõ opus habeat aut tẽporis
 longinquitate, aut exploratione ad discipu-
 los uel erudiendos, uel perfectẽ cognoscen-
 dos: uoluit tamẽ utrunq; tentare, facereq; ad
 insigne exemplũ doctorum Euangelij crean-
 dorum. Maius est enim hoc munus, quàm ut
 in ipsum sit temerẽ irrumpendum. Hoc i-
 psium exemplum secuti sunt postea Apосто-
 li: & Paulus Timotheum admonet, ut ne
 quem repentẽ & subito Euangelij ministrũ
 creet. Hinc est, quod à primis Ecclesiæ tẽpo-
 ribus ad hunc usque diẽ durat, ut nemo pos-
 sit de diuina uoluntate prædicare publicẽ ac
 docere, cuius non fuerit antea explorata do-
 ctina ac certa: ne in semente uerbi facienda,
 lolia,

lolia, tribuli, spinae, aliaeq; mortiferae herbae
 seminentur. Quorsum haec? Quia si de do-
 ctrina coelesti nemo nisi qui missus sit, praedi-
 care potest, profecto non mittetur alij, praeter
 eos qui eius sint nationis literis eruditi, apud
 qua fuerint concionaturi. Qui enim aliter con-
 cionarentur? Ergo qui docet, uersionib. istis,
 quas in uulgares linguas dicis, non indigent,
 quandoquidem sacras literas iam norunt: & ita
 norunt, ut eas alijs rectissime possint interpre-
 tari. Iam qui sacras literas addiscunt, eas ex ali-
 cuius doctoris interpretatione discunt: quae,
 ut dicebam, non audirent disciplinae causa,
 nisi ea quae ab illo dicerentur, intelligerent.
 Ut enim nemo concionatur, nisi apud eos a
 quibus intelligitur: sic nemo eius concioni
 intersit, quem non intelligat. Superest igitur,
 ut neq; ad eorum utilitatem qui sacras literas
 addiscunt, in uulgares linguas sit sacra scri-
 ptura interpretanda. nisi dicas theologiam
 te ex libris, quam ex uiva doctoris uoce mal-
 le intelligere: quod quale sit, mecum, quaso,
 paululum considera. Apostoli Christum pre-
 ceptorem habuerunt, Clemens Petrum, Ti-
 motheus Paulum, Lactantius Arnobium,
 Hieronymus Gregorium Nazianzenum, Au-
 gustinus Hieronymum, alijq; excellentes
 theologi alios doctores audierunt: tu pra-
 ceptorem nullum admittes? nulli te docen-
 dum trades? Quid ego de te loquor? Calcea-
 rius,

rius, fabri, architecti, latomi, coqui, piscatores, aurigæ, nautæ ex libris per se diuina mysteria intelligent? Hi suas artes rudes & crassas nisi longo usu, nisi longa obseruatione, nisi doctore & admonente & iuuante discere non possunt: & theologiam ex libris per se, proprio, ut dicunt, Marte percipient? Nū faci ius est theologiam, quàm manuariarum artium præcepta atq; opera tractare? Num humanus animus facilius coelestia, quàm humana capit? Num magis abdita aut excellentiora sunt hominū, quàm Dei opera? Sed quid ego argumentis his utor in re non admodū necessaria, et in ea quæ omnium oculis exposita sit? Circumfer oculos per humanas artes, & in his præstantissimos quosque considera. Plato philosophorum doctissimus, & penè Deus, ut ita dicā, multos annos audiit Aegyptios doctores, & in Italiā profectus, cum iam Athenis in pretio haberetur, Pythagoræ discipulus esse uoluit. Aristoteles à Platone est edoctus naturæ obscuritatem, & Theophrastus ab Aristotele. Quid reliqs philosophos memorē? Profectò nulla charta superpeteret, si esset mihi illorū faciendā mētio, qui & acutissimi & iudicio excellenti quū essent, philosophiam ab alijs discere uoluerūt. Quid Demosthenes, Cicero, Quintilianus oratorū præstantissimi & facundissimi, nonne in Rhetoricis præceptores habuerunt? Quid, gram-

matica quæ omnium minima habetur, nū sine doctore dīcitur: Ergo ut uideo, grammaticus præceptorem requirit, dialecticus doctore desiderat, philosophus habet opus institutore, cæteriq; deinceps: solus tu cum his, qui tibi cōsentit, præceptorem negligitis: Philosophi summi, Iuris peritissimi, Oratores disertissimi, dialectici acutissimi, sine præceptoris auxilio nihil sibi discendum putarunt: quī uos theologiā sine doctore addiscetis? Quid aliud dicā, quā illis multo magis cordi studium humanarum literarū, quā uobis diuinum esse: Plus enim, ut uideo, hominum illi doctrinam, quā uos Dei integerrimam disciplinam facitis. Quare & Christi, & Apostolorum, & præstantium Theologorum et Philosophorum exemplo, a doctoribus uiuis Theologia tradēda est, & per hos a nobis accipiēda. Quod si a magistris accipere nos Theologiā decet, parum profectō interest, imò nullo modo est opus, ut sacra scriptura in uulgarem linguam traducatur: nam semper tu ex magistrī institutione intelliges ea, quæ ad salutem fuerint necessaria: sicq; superuacanea traductio uideretur. Quid ergo tantum laboris in uertendis libris sacris sumetur, cuius postea nullus futurus sit usus? Tempore nihil uelocius, nihil preciosius: patiemur ne præterire tempus, dum istos uertimus, sine emolumento? Patiemur ne rem preciosissimā
 sic

sic nobis de manu eripi, ut eam, quum maxi-
 mē uelimus, recuperare nequeamus: Deside-
 rat Respub. nostram omnium operā, ad res &
 nobis singulis & uniuersis maximē utiles, ma-
 ximeq; necessarias: & hanc nos operam ad res
 non necessarias, quin potius inutiles traduce-
 mus: Officium deseremus, ut res inutiles com-
 plectamur: Sunt tot hereses, tot dissidia in Re-
 pub. quāta nulla fortasse antea extiterūt. Huc
 huc studium omnium Christianorum cōuer-
 tatur, in his componendis omnis cura & cogi-
 tatio nostra, in his somnus & uigilia repona-
 tur, in his nocentissimis procul auertēdis sum-
 ma undiq; cōtentione laboretur, non in libris
 cōuertendis. Dicat adhuc fortasse quispiam,
 debere conuerti libros sacros, ut habeat popu-
 lus unde uoluntatem Dei cognoscat, mandata
 eius percipiat, atq; ut uno uerbo dicam, unde
 Theologiam discat. Huic ego iam antea respō-
 di, Theologiam ex uiuis doctoribus, tum cæ-
 teros omnes, tum præcipuē plebeios ac rudes
 accipere oportere. Indiget fortasse populus
 ista librorum traductione, quod magna sit pau-
 citas hominum Theologiam docentium: ne
 istud quidem. Nam ut nihil dicam de collegijs
 doctorum, qui Theologiam singulis diebus,
 stans certisq; horis publicè scholasticis præle-
 gunt, certè infinitus est numerus hominū do-
 ctissimorum, qui ad populum de suggesto cō-

cionentur. Quot uideas concionatores diebus
festis & ante & post meridiem docentes popu-
lum, ea quæ ad singulorum salutem spectant,
& ad beatitatem consequendam: Quæ ciuitas
est, quæ non habeat innumerabiles conciona-
tores Diuini uerbi: Vsq; eò, ut si omnes fuerint
quotidie concionaturi, unaquæq; sexcentos
fuerit habitura. Quod municipium est sine do-
ctore Legis & Euangelij? Quod oppidum? qui
pagus? qui uicus? quæ ferè dixerim domus do-
ctore Legis indiget & Euangelij? Si intuearis,
tecumq; consideres frequentiam eorum ac mul-
titudinem, qui de Theologia populum institu-
unt, non dubito, quin totidem concionatores,
quot sunt, homines reperias. Intra urbes quot
sunt coenobia monachorum? quot item extra?
& quam multa reperies coenobia, & q̄ multos
monachos concionatores: Sunt huius generis
Franciscani multi, Augustiniani multi, Hiero-
nymiani multi, de his qui è mōte Carmelo no-
men habent multi: Dominicani multi, ex Mi-
nimis multi, ex his qui Cucullati appellantur
multi: & permulti alij ut uestium uariarum, ita
nominum uariorum, quibus alij Ordines ab
alijs differunt, ne confundantur. Quid, Pon-
tificum quanta est multitudo? & ij etiam popu-
lum instituunt. Quot sunt Decuriones? quot
Archidecuriones? quot Prodecuriones? quot
Curiones? quot Canonici? quot Presbyteri?
quot

quot Diaconi: quot Subdiaconi: quot Vicarij: & ij etiam populum doctrina Dei diligentissimè & peritissimè docent: quanquam superioribus annis fuerunt aliquanto, quàm deberent negligentiores. Sed gratia Deo omnes, aut pleriq; in officio nunc sunt, & suas pro virili quisque partes diligenter agit, officiumq; facit. Quæ ergo maior esse potest Theologiam docentiũ multitudo: & hi quidem omnes publici sunt doctores, & publicè ad fana concionatur: priuatim uerò & intra parietes suos qui doceant, quàm multi sunt: Sunt hi omnes quos supra memorauì, & etiam multo plures. Attulit tibi difficultatē locus aliquis ex Mose: Consule priuatim unum de tanta multitudine, aut duos, aut quotquot uoles: difficultas tibi omnis adimetur. Faceat tibi negotiũ in Psalmis David: istimet doctores auxilium dabunt, negotiumq; expedient. Scrupulus te malè habet in Vatibus: eijcietur istorum industria & diligentia. Tenebricosum est aliquid apud Paulum, apud Ioannem, apud Petrum: Lucem afferent isti ijdem doctores, si eos consulas. Penes auctores quatuor, ut uocant, Euangeliorum, aliquid est quod laborem exhibeat: uoca istos eosdem in auxilium, labore & cura liberaberis. In legēdis alijs Ecclesiasticis doctoribus multa occurrūt difficilia, multa ambigua, multa incerta: de quibus si cum istis communices,

quos multos habes autores, facilem habebis cognitionem, apertam, certam. Conscientia item nostra, quoties tanquam aculeo pungitur prauè factorum, aut secus suspicione: quoties huc atq; illuc cogitationum procellis miserè agitur: quoties quassatur: quoties fatiscit: Si uulnus conscientia accepit, unum de tanta multitudine doctorum si adeas, sanabitur: si uentorum tempestate & procella agitata fuit, ad hos tanquam ad sacram ancoram confugiet, in his portum & salutem inueniet: si quassata sit, restaurabitur: si fatiscat, rudentibus illigabitur, rimulæq; obturabuntur. Quid igitur amplius desideres ad Christianam institutionem: quid optes: quid requiras: Ergo ubi est tanta doctorum copia, nihil opus est libris in uulgarè linguam cõuersis. Plures, dicet aliquis, habebit amatores Theologia, & plures se ad eam conferent, si uulgaribus linguis contineatur: nam plures sunt qui communibus linguis utantur, quàm qui Hebræa, Græca, Latina. Multi enim sunt & pulcherrimi & utilissimi libri, qui si communi populi lingua loquerentur, ut aut Græcè, aut Latine loquuntur, non dubito, quin populus auidè eos legeret, atq; etiã cum fructu. Porro ex omnibus legendi usibus ille maximus est, ut honestarum rerum lectione ad honestatè uirtutemq; inflamemur. Mouet enim uirtutis lectio & commemoratio mirabiles amores sui.

Quum

Quum igitur plures in manibus habebunt, & legēt libros sacros, de Latinis uulgares factos, non dubium est, quin plures homines cœlestis doctrinæ amore capientur. Quid enim illis melius? quid honestius? quid sanctius? Facilis est ad ista responsio: imò uerò pauciores se ad Theologiæ studium traducēt. nam rerum obscuritate, & sententiarum difficultate ab legendo imperiti deterrebuntur. Nihil enim peius oderis, quàm quod non intelligas: & quod optimè noris, id sapissimè legas atq; ames. Non quod legitur nos allicit & detinet, sed quod intelligitur. Cursum cœlorum nemo non uidet: at pauci in eorū exquisita doctrina uersantur, quoniam à paucis intelligitur. Mathematicæ disciplinæ à paucis discuntur, nimirum quòd habeant difficultatem. Philosophiæ Platonis pauci se dedunt, uidelicet quòd ardua sit & difficilis. Abditissima philosophiæ & subtilissima quæq; quum multi possent, perpauci tamē adeunt: credo quòd sit ad eam aditus cum labore operoso & molesto. Numeros Pythagoricos quàm multi oderunt? nimirum quòd habeant implicatam ac difficilem cognitionē. Deniq; sic usu omnibus euenit, ut ad facillima quæq; libentissimè properemus, fugiamusq; contraria. Quid uerò Theologia difficultus? quid sacrarum literarū allegorijs implicatius? quid rebus, quæ in illis continentur, grandius? pro-

feciō si rerum in Theologia explicatarum, &
 sermonis habeas rationē, nihil est cum Theo-
 logiæ obscuritate comparandum. Quis enim
 Deū nouit aut uidit unquē? aut quis ex his qui ē
 uita discesserunt redijt, qui nos de cœlestibus
 admoneret, doceretq;? Quid difficilius, quā
 de re immensa agere? atq; de his omnibus in
 Theologia pertractatur. Sermo ita allegoria-
 rum plenus, ut saepe nisi exercitatus ad legen-
 dum accedas, tantum abest ut quicquā discas,
 ut etiā interdum nonnihil de tua eruditione
 amisisse tibi uidearis. Continentur enim tali-
 bus enigmatibus mysteria ingentia, & Dei &
 rerum cœlestium, ut quanto plus ea cōsideres,
 tanto te in maiorem admirationem sui rapiāt.
 Quod quum uideret Augustinus, sapiēter his
 » uerbis loquutus est: Tanta est Christianarum
 » profunditas literarum, ut in eis quotidie profi-
 » cerem, si eas solas ab ineunte ætate usq; ad de-
 » crepitam senectutē, maximo otio, summo stu-
 » dio, meliori ingenio coner addiscere. Non q̄
 » ad ea quæ necessaria sunt salutī, tāta in eis per-
 » ueniat difficultate: sed non quisq; ibi fidē te-
 » nuerit, sine qua piē recteq; non uiuitur, tā mul-
 » ta tamq; multiplicibus mysteriorum umbracu-
 » lis opaca, intelligenda proficientibus restant:
 » tantaq; , non solum in uerbis, quibus ista dicta
 » sunt, uerum etiā in rebus quæ intelligendæ
 » sunt, latet altitudo sapientiæ: ut annosissimis,
 acutis

acutissimis, flagrantissimis cupiditate dicendi, »
 hoc contigit, quod eadē scriptura quodā loco, »
 habet: Cum cōsummauerit homo, tūc incipit. »
 Hęc Augustinus. Ac si attendas ad hęc quę
 dixit Augustinus, cognosces profectō quanta
 insit in diuinis libris difficultas. Augustinus
 ingenio prestāti uir, ac singulari iudicio, in ex-
 plicandis libris sacris peritissimus, pontifex, se-
 nex, profiteretur se aliquid quotidie noui ex Di-
 uina lectione addiscere, quotidie aliquid uide-
 re quod non antea uidisset: quid hoc aliud est,
 nisi difficultas Sacrę scripturę est: Augustinus
 difficultate maximoperē mouebatur: quid fa-
 cient pueri, iuuenes, uiri, senes, omnes rerum
 ignari, omnes imperiti, nulla disciplina, nul-
 laq; arte? Nōne opprimuntur sublimium &
 admirandarum rerum excellentia, altitudine,
 obscuritate? Opprimuntur sanē, & de talibus
 rebus assequendis desperabunt. Quod autem
 quis desperet, id pro contempto habet, nihili
 facit: & intueri, si fieri posset, nolit. Tales autē
 sunt illi homines, quorum causa uertendi libri
 sacri, laniones, sartores, caupones, tabernarij:
 ergo non modō illos libros, quos sacros dici-
 mus, in uulgi linguam uersos non amabit uul-
 gus, sed etiā singulari odio prosequetur. Quōd
 si isti ex ista tua, quā tantopere probas, uersio-
 ne, sumpserunt occasionem habendi offen-
 sionem & fastidium ad sacras literas: istis si tra-

ductio nulla fuisset, sacras literas nō odissēt: ob
eamq; rē theologia nō plures, ut tu dicebas, sed
multo pauciores habitura sit amatores. Respō
di tuę obiectioni, uide nū alia etiā de causa sa-
cras literas putes in uulgi sermonē trāsferri o-
portere. An ut faciliores sint: sed difficultas nō
in uerbis sita est, sed in reb. ipsis, Quę fuerit ex
se res difficilis, hæc utcunq; alijs uel alijs uerbis
explicet, res eadē manet, eadē ergo difficultas.
Nō enim quicquid ea lingua continet, quā tu
uel optimē omnium teneas, continuō intelligis:
quod etiā ceteris omnibus euenit, Multi enim
Hebraicē sciunt, & Chaldaicē, qui neque Mi-
chol, neq; Thalmuth, neq; Rabinos (faciamus
hoc nomen consuetudinē sermonis familiare)
neq; hanc, de qua nūc agimus, sacrā scripturā
intelligūt. Quid, Rabini nōne Hebraicę lin-
guę erant peritissimi? At q̄ multa ignorarunt
de sacris literis? Multis in locis alijs ab alijs di-
screpāt, discordāt, dicuntq; planē cōtraria. In-
ter Græcos Græcē scripserūt Plato et Aristote-
les: sed nihilo plus horū scripta populus Athe-
niensis intelligebat, q̄ si ignota lingua scripsis-
sent. Sed qd ego de populo loquor, quū effica-
cioribus possim uti argumentis, & præstantiori-
bus: Platonis discipuli & emuli, in Academia
diu multūq; uersati, & quidem foeliciter, Ploti-
nus, Proculus, Chalcidius, Plutarchus, Iambli-
cus, Porphyrius, Syrianus, Origenes doctor
fin-

singularis, quātis difficultatib. tenent in expli-
 cādo Platone: q̄ multa dubitāt: q̄ multa igno-
 rant: q̄ multa conturbant: Quid Peripatetici,
 Simplicius, Ammonius, Nicolaus, Philopo-
 nus, quantū laboris sumpserunt, ut ea intellige-
 rent, quæ ab Aristotele fuerant scriptis cōmen-
 data: Sed deus bone, q̄ turpiter isti interdū er-
 rant: q̄ lōgē absunt à germana Aristotelis sen-
 tentia: Quid, isti & Academici & Peripatetici
 num à Græcis literis sunt alieni, nec eas norūt:
 imò ferè omnes Græci sunt, in Græcia nati, in
 Græcia educati, & Græcā linguam cum lacte
 suxerunt, Græcæq̄ locutionis et laudē sunt &
 gloriā consecuti. Licet idem in Latinis scripto-
 ribus intueri: quod quoniā nemo nescit, ego si
 lentio prætermittā. Illud omnes uident, magnū
 exhiberi negotiū et difficultatis plenū his, qui
 se intelligendis libris sacris dediderūt, siue He-
 braicè eos, siue Græcè, siue Latine cōscriptos le-
 gerint: & ea lingua legerint, quæ erat sibi q̄ no-
 tiſsima. Id Rabini fatent: & si negēt, quod nō
 negabunt, ipsimet satis sunt argumento, quòd
 inter se discrepēt. Id Græci authores cōcedunt,
 Origenes, Athanasius, Basilus, Chrysoſto-
 mus, Cyrillus, Nazianzenus: et si negent, quod
 nō negabunt, ipsimet satis sunt argumento, q̄
 inter se discrepēt. Id Latini agnoscunt, Hiero-
 nymus, Augustinus, Lactātius, Tertullianus,
 Cyprianus: & si negent, quod non negabunt,
 ipsi.

ipsimet satis sunt argumento, quòd inter se dis-
 crepent. Discrepant autem hi Ecclesiastici do-
 ctiores, non in rebus ad fidem pertinentibus,
 sed in certorum quorundam locorum explica-
 tione: qui loci hoc uel illo modo explicati, de
 nomine potius quàm de rebus ancipitem affe-
 runt dubitationem. Ergo si autoritate & exē-
 plo summorum philosophorum, theologo-
 rumq; præstantissimorum testimonio, difficul-
 tas nò in uerbis, sed in rebus inest, Theologia,
 quæ, ut antea probaui, difficillima est, utcunq;
 uertatur in hanc uel illam linguam, secum ean-
 dem transferet difficultatem. Non igitur uul-
 garibus linguis interpretata, melior intellectu
 erit, atque facilior. At melior erit ad intelligen-
 dum. Si eandem secum quocunq; ierit de-
 fert obscuritatem, profectò melior ad intelli-
 gendum nunquam erit. At citius addiscetur.
 Ne istuc quidem: quoniam rerum cognitio nò
 lingua, sed labore, temporis spacio, cura, diligē-
 tia, meditatione & commendatione pondera-
 tur. Vicerunt Latini multi multos Græcos, in
 cognitione rerum naturalium, quæ Græcis li-
 teris cōtinerentur: idq; quum Latini hi, de qui-
 bus loquor, peius quàm Græci loquerentur
 Græcè. Et de his qui Latine sciunt, et multi an-
 te hac fuerunt, hodieq; sunt, qui cum incultè,
 inornatè, barbareq; loquantur, eos antecellūt
 doctrina & eruditione Latinarum disciplina-
 rum,

rum, quorum eloquentiam admiramur. Non igitur ad citius intelligēdum Theologiam linguæ traductio confert, sed studium, sed cura, sed diligentia, sed labor improbus, qui uincit omnia. At ornatior & cultior erit, si in uulgares linguas uertatur. Num & ornatior & elegantior fuerit, si Cantabricè aut Vasconicè de Hebræo aut Græco aut Latino interpretetur: num si in Aethiopum linguam transferatur? Atqui his linguis nihil incultius, nihil inornatius, nihil horridius. Contrà Hebræa lingua (si Iudæis credendum sit) elaborata, concinna, dulcis est, atque adeò sancta. Quid Græca & Latina lingua copiosius, quid grauius, quid iucundius, quid ornatius, quid politius? Prodeant omnes quotquot sunt & fuerunt linguæ, & prodeant in mediū à quatuor terræ finibus, Oriente, Occidente, Septentrione, Meridie: decq; elegantia, copia, suauitate, concinnitate uerborum, & simplicium & coniuictorū, cū his tribus contendant uel uniuersis, uel singularis: non dubito quin linguæ Hebræa, Græca, Latina, meritissimò primas agant. Quod uel hoc ipso adducor ut credā, quia cum innumera- biles linguæ ita interierint, ut illarum ne uestigium quidem appareat: hæ per tot secula, per tot orbis & regnorum uicissitudines, per tot uastationes & excidia, post uastationem & e- uersionem suarum nationum, exules, & pro-
prijs

prijs sedibus electæ, supersint, uiuant, in hono-
 re sint & precio, & à tam multis hominum mil-
 libus amentur ac diligantur. Sed fac inania es-
 se, quæ à me nunc disputantur, fac uana esse,
 fac omnes linguas esse inter se æquales & pa-
 res, nec quicquam his tribus præ cæteris tribua-
 tur: hoc abs te peto, quid ornamentî, quæ ele-
 gantia, qui cultus magis ornabit sacram scri-
 pturâ, in uulgares linguas interpretatâ, quàm
 ex Hebræa, Græca, Latina? Nullum profectò
 ornamentum, nulla elegantia, nullus cultus.
 Ergo neque uertenda est sacra scriptura in uul-
 gares linguas, ut sit ornatior & cultior. At erit
 magis commendata populo scriptura sacra, si
 uulgaribus linguis loquatur. Si uerè antea pro-
 batum est, multo minus amatum iri sacrâ scri-
 pturam sic uersam, quòd multos ab se aliena-
 bit, rerum celsitudine abditissimarum, & di-
 ctionis implicata allegoria: nihil est quòd pro-
 brem, commendatiorem populo non futuram.
 nam id cuique commendatum est, quod dili-
 git: & quod quisque oderit, id commendatum
 habere nō potest. Quin potius colliges, si quid
 ex se scriptura sacra consecuta sit ad populum
 commendationis, id ex uersione se amissuram
 esse. Sed perstabis etiam in eandem sententia,
 & dices: Commendatior populo fuerit, si uer-
 tatur in uulgi linguam. Id quale sit, iam ex su-
 perioribus intelligere potuisti: sed quoniam in
 ista

ista es pertinacia, rem etiam excutiamus: & si
 possumus, accuratius excutiamus. Commen-
 dantur res nobis aut ex se ipsis, aut testimonio
 eius & auctoritate per quem solent commen-
 dari. Nunc per quos fuerit commendata scri-
 ptura sacra, cōsidera. Viri docti & prudentes,
 philosophi singulares, theologī graues, iuris u-
 triusque consulti, dialectici acres, medici exi-
 mī, hanc commendant. Senatores splendidis-
 simi, consules uigilantissimi, censores grauissi-
 mi, magistratus summi hanc cōmendant. Vi-
 ri generosissimi, principes ornatissimi, duces
 illustrissimi, Imperatores inuictissimi, reges
 potentissimi & amplissimi hanc cōmendant.
 Genij Dei hanc cōmendant. Deus ipse & sua
 ipsius uoce, & uatum, & filij, & apostolorum,
 & martyrum præclarissimo testimonio hanc
 commendat. Quid ergo commendatione indi-
 get sacra scriptura uel maiore, uel meliore, uel
 illustriori, uel certiori? Sed quid, quæso, ad hanc
 cōmendationem addi potest? Qui senatus au-
 thoritate, uel imperatoris, uel regis commenda-
 tur, huic maior cōmendatio esse nulla potest:
 Diuinæ scripturæ tot senatum, tot regum, tot
 imperatorum literis publicis commendatæ,
 quam accipient maiorem commendationem?
 De hominibus argumenta hæc sumpta sunt, il-
 lud Dei multo efficacius. Si à Deo diuinæ scri-
 pturæ commendantur, quid amplius ad com-
 men-

commendationem suam requirent? Non mehercules Regum, Imperatorum, Principum, Ducum, Illustrium uirorum commendationē desiderēt. Quocirca nec si uertantur quidē, commendatiores futurae sunt. Iam Theologia quid honestius? quid uerius? quid melius? quid praestantius? Est autem rerum honestarum, uerarum, ea natura & uis, ut per se sint cōmendatae, habeanturq; in precio; ideoq; tametsi nullius unquam alterius opera & autoritate cōmendentur, per se & sunt, & debent esse commendatae. Ergo tametsi nō transfundatur scriptura Diuina in uulgares linguas, erit per se factis commēdata. Vides, quā nullius sint ponderis tua argumenta? Sed, ut uideo, etiam cantas tuam ueterē cantionem: Licet uerti diuinā disciplinam in uulgares linguas. Qua de causa? Quia magna illius utilitas ad Rēpublicā ueniet. Quae est illā tandem? Num si gerendū sit bellum, milites tuis conuersis libris armabimus? num si urbes exercitu cingantur, conuersis libris & urbem defendemus, & hostes propulsabimus? Num fines imperij amplificabimus? Atqui ubi incidit bellum, ubi aliquis rumor nouus bellicum canere coepit: deponuntur libri de manibus, assumuntur galeae, enses, clypei, hastae, aliaq; arma, nō quibus disputemus, sed quibus bellum geramus, hostē depellamus, terrores imponamus, pericula intentemus, & uulnera

uulnera faciamus . tum nō uersionibus agenda res est, sed ferro: non amatur qui politē uerterit scripturam, sed miles agrestis qui fortiter pugnet. At si non est in bello, est in ocio & pace Reipublicæ emolumento. Num ad Senatū regendum, & unumquencq; retinendū in officio: Verūm non ignoras, esse singulis Rebus publicis leges & Imperiales & municipales, quibus negocia procurentur, gubernentur, & animaduertatur in fontes, & in bonos ciues beneficia pro meritis cōferantur. Et si quid opus est ex sacris literis ad Reipub. statum, uiri sunt Latinē, Græcē, Hebraicē docti, qui possint ad id respondere, satisfacereq; ac proinde uersio non est necessaria. Est ne ad mercaturā utilis: an ad nauigandum: an ad tributa & portoria exigenda: nihil minus. Conducit ne ad singulorum augendam rem familiarem: Imo ad minuendam: nam quantū in libros ita uersos impendetur, tantum unusquisq; de re sua familiari detrahet. Conducit ne ad studia literarum aut instituenda, aut conseruanda, aut amplificanda: minimē. Nam in scholis publicis optima habetur & laudatissima instituendi ratio, quam qui secuti sunt usq; ad magnū eruditionis & honoris gradum peruenerūt: quos multos possem recensere, nisi existimarē æquē uobis esse illos ac mihi notos. De ritibus, ut quisq; ueterrimus fuerit, ita optimus censetur,

& hoc nomine magis damnatur uersio in uulgarem linguam, quòd nouus mos institueretur, excludereturq; uetus, qui & omnium opinione & experientia comprobatus est. Nunquid adhuc restat: nihil. Ergo si neq; ad docendum, neq; ad discendum, neq; ad ornatũ, neq; domi, neq; foris, neq; in bello, neq; in pace, neque in ocio, neq; in negotio ista Bibliorũ traductio Reipub. cõducit, eam inutilem esse, necesse est fateamur. Preme omnes dialecticæ locos, illos diligenter scrutare, moue omnem lapidem, et uide, nunquid adhuc restet, quam obrem uerti debere in linguam uulgi scripturã Diuinam arbitreris. Tace, tace Cæriolane: ex uultu, ex oculis facilè coniecto, quid uelis respondere: uis mecum testimonio scripturarũ

» agere, nempe quod Iosux dixerit Deus: Non
 » recedet uolumen Legis huius ab ore tuo, sed
 » meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custo
 » dias & facias omnia quæ sunt scripta in eo. Dixit ista Deus, fateor, sed cui dixit: nũ de Israëlitis cuius: num imperito: nũ mulieri: num puero: num uniuerso populo Israelitico: nihil minus. Sed dixit ei, qui in locum Mosis successus fuerat, dixit peritissimo uiro: & uni tantũ Iosux dixit, non populo uniuerso. Quod huic uni dixit Deus, Pontificibus, ministris ecclesiasticis, & ijs qui populo præsumt dixit, alijs non item. Probares facilè ex isto loco munus &

officijs

officium Pontificum esse, legere, relegere, per-
 legere Diuinam scripturā, eamq; habere per-
 spectissimam: quod ego tibi libentissimè darē.
 Sed age, concedam non solum Iosuae, sed etiā
 uniuerso populo illud à Deo dictum esse: quē
 admodum multis sepe in locis, quod unū popu-
 lo uel homini dictū est, etiā ad reliquos trās-
 fertur. Quid tum inde? Sanè nihil concludes:
 quoniam illud Dei ad Iosuam consiliū, non
 præceptum fuit. Si præceptum datum esset, eo
 omnes ex æquo, tanquā uinculo teneremur:
 sed quoniam pro cōsilio habetur, minimè ob-
 ligat: & ab legendæ scripturæ sacræ uinculo
 omnes soluti sunt, quicumq; sunt extra ecclesia-
 sticū ordinē constituti. Moueor autē, ut consi-
 lium esse credam, illis uerbis, quòd dictum est,
 Non recedat uolumē legis huius, & in eo me-
 ditaberis diebus ac noctibus. quis enim potu-
 set semper habere in ore uerba legis: ecquis po-
 tuisset semper & de die & de nocte de Diuina
 lege continenter cogitare? Itaq; uides quā
 nullius momenti sit locus iste, quem firmissi-
 mum fortasse esse arbitrabaris.

Docui, quod primū pollicitus sum, Cærio-
 lane, causam omnino, cur diuina scriptura in
 uulgi linguam transferatur, nullam esse. Atten-
 de nunc, & multis magnisq; de causis non de-
 bere transferri, conuincam. In quo illud me
 malè habet, quòd unde initium sumam, planè

non uideo, nō quòd argumentorum copia me deficiat, sed quòd tanta se mihi in causam ingredienti multitudo argumentorum offert, ut nesciam quid primum, aut mediū, aut postremum sumam. Alijs me de rebus conantem dicere sæpenumero oratio deserit, laboro in argumentis excogitandis, & perturbor uehementer: hac uerò de re disputanti mihi uerba abundè suppetunt, argumenta sunt in promptu etiā nō uocata, & summa cum alacritate delector. Non enim quæro quid sim dicturus, sed quid omisurus: nec argumenta probabilia consector, sed de firmis his, quæ multa habeo, firmissima ut à me adducantur laboro, & minus firma prætermittantur. Singula enim si uellem persequi, tempus me citius, quàm oratio deserit. Quare non tam mihi dicēdi copia, quàm modus quærendus est. Faciam ita Cæriolane, ut neq; tibi neq; cæteris longior fuisse uidear. Vnde igitur incipiam? quod primum argumentum proponam? Age, sic aggrediar. Non debet uerti sacra scriptura in uulgi linguā, quòd isto modo uersa, negligi, uiolari, & pollui uideatur. Attrectabitur enim sordidissimis & inquinatissimis manibus hominum sceleratissimorum, turpissimorumq; quibus hoc unū est cordi, ut omni libidinum & uiciorum macula turpissimè notentur. Hanc leno & lena, adulter & adultera, hanc homicida, hanc publica-

nus,

nus, hanc foenerator, hanc humani generis publicus hostis, hanc Dei & sanctorum osor, religionis & caerimoniarũ euerfor, inquinatis manibus Harpyarum more contaminabit: quo quid esse potest turpius & inquinatius? Foeneratores publici à Christianorum communione excluduntur, prohibentur interesse publicis totius populi caerimonijs & ritibus: & nos his, quos à communitate nostra arcemus, libros sacros concedemus: permittimus eos in sacra diuini uerbi lectione uersari, quos nobiscũ esse non patimur: Quid? publicis & famosis peccatoribus, nõne & aqua & ignis interdicitur? nõne eosdẽ sacris ædibus interdiciamus? nõne priuamus eos nostra familiaritate, societate, coniunctione, colloquio? Itane uerò pluris hominum societatem, quàm Dei uerba & colloquia facimus? pluris templi fabricam, quàm Dei oraculum uiuum ac sempiternũ facimus? Quid uerò est sacra scriptura, nisi sermo Dei, nisi Deus ipse scriptis nos alloquens, quemadmodum olim primis Ecclesie temporibus, uerbo cum Patribus sanctis miscebat sermones. Nam, cum eò impietatis, maliciæ, uiciositatis ab hominibus uentum esset, ut omni se uiciorum genere obstringi non uererentur: Deus, ut inquit Theophylactus, non iam homines dignatus est suo colloquio, sed, quod suis uerbis agere solebat, literis & internuncijs nobis-

cum loquitur. Has autem literas & internuncios, nos Diuinam scripturam nominamus. Et in cæteris quidem omnibus scripturis, quæ multæ ab humana solertia & diligentia profectæ sunt, hominum cogitata & sensa explicantur & aperiuntur: in hac uerò diuina Dei mēs nobis, ad nostrā utilitatem exponitur: omnia sunt diuina, omnia cœlestia, omnia ab ipso Deo proficiscentia, imò uerò ipsa uolūtas Dei nobis diuinitus patefacta. Quare quicūq; hos in manus sumit, cogitet se nō Platonis aut Aristotelis dubiam & incertam philosophiā, sed Dei præpotentis diuinā Theologiā & omniū certissimam habere: cogitet se non librum habere in manibus, sed Deum ipsum præsentē: Deum doctorem, qui in illis libris tanquam in schola publica philosophiam cœlestem prælegat, doceat, instituat. Hoc quæso te, quid certius: quid uerius: nihil sanè. Ergo tu cum sacrā Scripturam audis, Deum ipsum audis: cum sacram Scripturam legis, Dei uoluntatem legis: & cum eam legis, corā habes Deum, & cum ipso loqueris, cum eo sermonem instituis: Deū ipsum tuis manibus tractas, cum eius uoluntatem in manibus habes: nihil enim est Dei, quod non sit ipse Deus. Iam si hæc ita sunt ut diximus, quod uerè & sanctè diximus, nonne quicūq; impurus, immundus, & inquinatus, sacram scripturam attigerit, is eam tibi contaminaſſe

minasse uidebitur: Constituerunt sanctissimi religiosissimique patres, maiores nostri, ne qui extra ordinem ecclesiasticum manus admo- uerent ad sacra uasa templi, aut uestes sacras, quod à talibus hominibus atrectari nefas esse existimarēt: & nos libros Diuinos ab homini- bus prophanis gestari manibus patiemur: Nū sacratiores est, aut Deo gratior, uestis & uas, quàm sua ipsius uoluntas: Num maior religio aut uasis ex auro & argēto, & nonnunquā ex argilla, aut uestibus ex quacuncq; materia factis debetur, quàm Dei sermonibus: Nū plus san- ctitatis in uestibus & uasis, quàm in Dei literis inest: Vasa & uestes res sunt fluxiles, caducae & periturae, uerbum uerò Dei uiuet in omnē æternitatem: uasa & uestes humanis operis constant & fiunt, uerbum Dei ab illo ipso re- rum omnium Opifice manat & profluit: ua- sa & uestes diuinitatis sunt expertia, in Scri- ptura sacra Diuinitas ipsa apparet & relucet. Iam illud considera: Quotusquisq; non ha- beat religioni, uestes & reliquias sanctorū ui- rorū, qui æterno cœlorū æuo perfruūtur, pro- prijs tractare manibus: Quotusquisq; non eas atrectari ab hominib. prophanis perhorrescat & detestetur: Cur quod in uestibus turpe, non item in sacris libris esse ducas: Cur non item in Diuina uoluntate prophanis manibus atre- ctanda, ut in Sanctorum reliquijs, pertimesci-

mus, & contaminari eam putamus? Nōne maior debetur reuerentiā Dei reliquijs (quæ sunt eius uoluntas, literis diuinis testata) quā hominū? Nōne certiores Dei sunt hæ, quā hominum reliquiæ? Nōne maiora commoda humanæ societati per sacram Scripturam, quā per hominum reliquias importata uidimus? Nōne plures ducit ad Deum scriptura, quā reliquiæ? Quid? pannus candidus aut preciosus nōne maculatur, si contaminatis manibus attrectetur? maculatur. Quis igitur si- nes à contaminatis uulgi manibus Diuinam scripturam, quæ omnium purissima & preciosissima res est, inquinari, & fœdari? Attrectabit hanc cruentatis manibus sicarius, uersabit sanguinolentis digitis lanio, euoluet hanc lutulentis manibus agricola, sumet in manibus hæc manantibus mel dulciarius, releget hanc manibus pharmacopola, & pice uel fœtido pharmaco contaminatis, reuoluet hanc gypsatæ manibus architectus. Cætera similia nolo persequi, cum quod infinita, tum quia sine fastidio audiri non possent. Num non tibi uidebitur inquirari sacra Scriptura, si ab his manibus, & alijs multo inquinatioribus attrectetur? Quis item ausit tam maculosis, tam putidis & fœtidis manibus uestes regias, aut principis alioqui uiri, aut etiam suas attingere? Quid hoc quæso est? Vestes regis tangere non audes, & audebis sacram

cram Dei uoluntatem, libris testatam, istis manibus uersare? Principis uiri turpe duceres uestes tangere, & omnium principis Dei scripturam tu tanges? Ad tuas ipsius uestes tam sordidas manus non audes admouere, & eas admouere ad Dei libros non uereris? Si quisquā esset tam insanæ mentis, ut sacratas sacellis uestes talibus manibus attingeret, Deus bone, ut exploderetur, ut sibilis urgeretur, ut derideretur, ut prophanus, ut stultus iudicaretur? Quid hoc est quæso? prophanus est qui ista faciat? Nōne magis prophanus sit, nōne magis stultus habeatur, quicūq; libros sacros, tam irreuenter & spurcè attingat? Iube istos, adeant regem aut uirum primarium quenquam, colloquendi gratia, cum suis sordidatis uestibus; recusabūt, sat scio, quia turpe existimabunt tales se in regis uel uiri nobilis conspectum dare. O te miserum, si ista non uides. cum rege turpe ducitur sordidis manibus, aut aspectu horrido squalidoq; colloqui: cum regum potentissimo & præstantissimo rege, Deo, parui putabitur, si quis se impurum in eius conspectu ponat. Quid est, si hoc Deum contemnere non est? Iam istos eosdem, quoniam se regi non audent uidendos dare, admone, ut quales sunt sordidati, lutulentī, tales medijs uis conspiciendi à populo ambulēt: te (puto) fuerint irrisuri, quòd sic in publicum progredi, inhonestum & tur-

pe omnibus uideatur. O mentem hominum præposteram, Populo se homines, sui similibus, non audent illos, & spurcos ostendere: & in populum, ut ita dicam, cœlestis imperij omnium antiquissimî, amplissimî, prodire nō uerentur, ubi omnes sunt primarij, omnes duces, omnes principes, omnes potentes, ubi omnes & gratia ualent & autoritate. Non audet homo inter populares suos talis prodire: & audebit inquilinus in aliena republica inter nobilissimos, summos, integerrimosq; uiros uersari, inire societatem, colloqui liberè? Quales, per Deum te immortalem oro, ciues inuenias in ueteri & nouo Fœdere? Adamum, Semū, Noam, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, cæterosq; admodum uenerandos ciues: Mosen, Samuelem, Esaiam, Ieremiā, Danielelem, cæterosq; uates, qui sunt Senatorij ordinis. His adde Ioannē baptistā, Petrū, Paulū, Andræā, Barnabam, Philippū, ceterosq; Apostolos. Quid persequar omnes omniū ordinū ciues? Nulla respub. magis hac floruit, nulla melioribus legibus, aut sanctioribus gubernatur: nulla meliores, nulla plures, nulla integrior, nulla religiosiores, nulla sanctiores unquam habuit, habebit. Ergo homūculus ignobilis, spurcus, lacer, cum his tot tantisq; ciuibus, sanctissimis & integerrimis uiris, audebit congregari, miscere sermonem, qui cum popu-

lari

lari suo colloqui non audebit? Colloqui? imò
 uerò ne aspiciere quidem. Quid uerò? qui Bi-
 blicia legunt, nonne cum his omnibus præstan-
 tissimis uiris colloquuntur? colloquuntur. Non
 ne igitur indignum facinus, & minimè tole-
 randum clames, quum homines sordidos ac te-
 nues uideas audacter ad sacros libros accede-
 re? Nonne meritò dicas hominum authorita-
 tem diuinis literis anteponi? Nonne uocifere-
 ris, scripturam sacram ludibrio haberi? Non-
 ne dicas contaminari? Ita sanè uerò. Ad men-
 sam item illotis manibus accedere, & malum
 & turpe ducimus: nos uerò ad diuinam scri-
 pturam, tanquam ad mensam Dei, unde pa-
 nem spiritui nostro uitalem sumimus, non par-
 est, ut cum munditia accedamus? Si magnus
 honos mensæ, ubi mappa, mantile, panis, fercu-
 la apponuntur, tribui solet: quanto maior tribui
 debet Biblijs, quæ nobis recta, honesta, utilia,
 salutaria, genios mundos, spiritus cœlestes,
 Deum, & Triadem beatissimam nobis propo-
 nunt? Depellantur igitur salsamentarij, coqui,
 factores, fabri, pistores, infectores, reliquique qui
 sordent: ne accedant ad has diuinæ scripturæ
 sacras epulas, & quasi conuiuium. Sponsalia
 nobis, ut ita dicam, facit Deus, conuiuium est
 paratum, apertæ sunt ianuæ, mensæ structæ,
 missus deferuntur: sed caue ingrediaris immun-
 dus, impurus, sordidata ueste, ne illud conui-
 cium

cium audias: Amice, quare ingressus es, nō ha-
 bens uestem dignam nuptijs: Præstat nos pro
 foribus expectare, usque dum ueniant conui-
 uij structores, & nobis ad ianuam expectanti-
 bus, de conuiuij epulis nō nihil largiantur. Hi
 profectō sunt Pontifices, cæteriq; qui habent
 diuini muneris functionem, per quos uoluit
 uniuersum populum Deus accipere conuiuij
 sui reliquias. Est satis exēplo nobis illud quod
 in solitudine fecit Christus, qui panes et pisces,
 quo populum satiavit, discipulis suis diuiden-
 dos dedit. Nimirū ut intelligamus, sacram scri-
 pturam, qui cibus est animi nostri, per manus
 nos Pontificum, non nostris accipere eam &
 intelligere oportere. Qui contrā facit, & Dei
 exemplum contemnit, & sacram scripturā con-
 taminat, cū propter eas quas diximus cau-
 sas: tum etiā propterea, quòd si uulgaribus lin-
 guis sacræ literæ loquerentur, omnium omnis
 generis hominum, et uerò etiā Christiani no-
 minis hostium crudelissimorum libidini & im-
 mani impietati essent expositæ: quo nihil esse
 potest turpius. Tum enim apertissimè conta-
 minarentur: nemo tum posset ea de re dubita-
 re. De obstinatis ludæis, qui ad hunc usque
 diem suum etiā expectant Messiam, quot pro-
 bra, quot scommata, quot ronchos passi sunt
 Christiani: Quam multa aduersum nos tenta-
 runt: ut nos lacerant: ut sæpe simulachrū ima-
 ginemq;

ginemq; & Christi, & Mariæ matris, uel con-
 spuerunt, uel flagellarunt, uel per cõtumeliam
 fregerunt, uel cõbuserunt, uel mille alia igno-
 minia genera inuenerunt, quibus Christum
 absentem, tanquam præsentem turpissimè, sce-
 leratissimè tractarent: Hic mecum considera,
 quid factum iri à Iudæis aduersum sacrum E-
 uangelium putes, si in suam id linguam uer-
 sum habeant. Habebunt ludibrio quicquid in
 eo inuenient: Christum seductorem, quoties il-
 lud uidebunt, toties appellabunt: auctores E-
 uangelij Matthæum, Marcum, Lucam, Ioan-
 nem, Paulum, Petrum, Iacobum, omni igno-
 minia notabunt: profugos appellabunt, perfid-
 os, nequitia ministros, & orbis uniuersi ar-
 dentissimam pestem, maximeq; fugiendã. Et
 quoniam eos autores coram habere non pote-
 runt, à quibus Euāgelium scriptum est, facient
 et edent mirabilia in libros exempla: quæ, si a-
 dessent, in auctores libētius ederēt. Quæ exem-
 pla: Maculabunt libros omni foetore, omni sor-
 de: deniq; ut nihil faciāt, aut sceleratis ignibus
 cremabunt, aut in foetidissimas cloacas præci-
 pitabunt. Horresco mehercules referens, & to-
 to corpore contremisco. Quis enim hæc pro-
 bra, hæc conuicia, has contumelias in sacrum
 Dei Euangelium sine horrore referat? Quin
 etiam Mahumetæi, alteri Euāgelij hostes, non-
 ne aut his similia, aut etiam grauiora fecerint?
 Habent

Habent nos derisui: habebunt & sacram scripturam. contemnunt nos: contemnent scripturam. nos conspuunt: conspuent scripturam. lacerant nos: lacerabunt scripturam. Quid reliquos Christianæ reipublice hostes memorem: præsertim cum omnes eius sint generis, ut qui unum norit, omnes norit: omnes uellent nos unâ cum scriptura nostra extinctos, & funditus deletos. Quid igitur isti facient nostris Biblijs, si in suorum linguam uertantur: certè id ipsum quod Iudæi. Populo Israëlitico religio erat cum extraneis & impuris quicquam negotij contrahere, legem communicare, quòd illa Deo grata esse intelligerent: nos uerò tam Dei & legis diuinæ negligentes erimus, ut consilia illis, legem, sacram scripturam communicare uelimus: Iubet nos Deus abstinere illorum colloquio, qui obstinatè peccant contra omnium admonitionem: & nos Iudæis, Ethnicis, Mahumetæis, cæterisque genere de eodem, qui pertinacissimè ueritati agnitæ resistunt, et contra eam pugnant, non modò non cõmercium denegabimus, uerùm etiã ultro & sponte eos ad libros nostros ducemus: Purgat se diuus Petrus, quòd inter exteras nationes uersaretur, quòd unâ cum illis cibum caperet, quòd cum illis colloqueretur: & qua de causa se purgat: nimirum quòd contaminari & pollui Iudæus putabatur, qui cum extraneis degeret.

Deo

Deo tñ de tali re expiatio debebatur. Itane uerò: homo polluitur commercio extraneorū, homo polluitur et fœdatur, si cū impuris degat, si cū impuris uerfēt: libri sacri nō polluetur? Nō patimur homines cum impuris uiuere, et patiemur libros sacros cū impuris uiuere? Nōq̄, si Christianis solis libri uerterentur, ita ut inter Christianos Christiani libri solū essent, ferendū esset. Nam & in ueteri Fœdere templū Dei tantæ habitum est religioni, ut si à quoquā impuro uiolaretur, multis id ceremonijs & precibus procuratum sit. In lege autem gratiæ, quæ Euangelium dicitur, non omnibus est facultas ingrediendi templi, quocunque uelit homo tempore, nisi sit positus extra famosam & insignem peccati ignominiã. Num ijs etiam, quibus ingressus in templum prohibitus est, libri sacri nō prohibebuntur? Multo enim præstantior res est sacra scriptura, quàm ad templum ingrediendi facultas. Num quibus leuiora denegamus, iisdem grauissima concedemus? In tēplo si uulnus alicui fiat, si humanus sanguis effundatur, si stuprum inferatur, nemo dubitat quin templum uiolatum sit. Quid ego audio? Sanguinis effusione, & stupro, templum, sanum, sacellum, edicula, & quiuis sacer locus polluitur, & sacre scripturæ non polluentur? cur? quo pacto? non enim ista satis intelligo. Certè aut ego fallor, aut quibus Dei sanum,

num, iisdem etiam scriptura sacra contaminatur. Veniet igitur sicarius, & gerens fortasse (si Dijs placet) in sinu libros sacros, adoriatur innocentem, uulnerabit, occidet: & fortasse interdum quem occidet, in legendis libris sacris reperiat: nonne hic effusio sanguinis facta est? Quid moechus, adulteram in libris sacris uersantem alloquetur, deosculabitur, comprimet: non hic stuprum factum est? Quid meretrix impudentissima, in media lectione librorum sacrorum dubitabit, dubitabit effrenatae procum libidini pedem tollere? Non hic etiam scriptura uiolatur? Quid Christus, si in hanc uitam restitutus, conspiciat suos libros in tam sceleratorum et perditorum hominum nefarijs manibus, nonne eos extorsurus fuerit? nonne sumpto flagello hos expellet a sacra lectione, qui emptores & uenditores a templo eiecerit? Hac igitur tot tantaq; mala unde uenient: ex Biblijs uersis: quandoquidem si non essent uersa, ea tam prauis homines non sumerent in manus. Quo pacto his malis succurreremus? si non uertantur in uulgares linguas: quia sic erit omnis aditus praclusus. Ergo si ex antiquissimis Ecclesiae ritibus & ceremonijs, quae sunt sacra, tactu saepe fiunt prophana: si inquinatae manus, quas res tangunt, contaminant: si non est uana templorum interdictio: si stupro & sanguinis emissionem uiolenta, sanum Dei pol-

lustratur, si hostium diuini nominis contagione scriptura sacra contaminatur, eam quum in uulgares linguas uertitur, pollui, negligi, uiolari necesse est fateamur. Iam uerò si uertantur in uernaculam linguam libri sacri, illud incommodum sequetur, et quidem magnum, ut omnibus hominibus exposita sit, quæ uix uno aut alteri ferè homini, aut saltem solis doctis exposita esse deberet: idè propter excellentiam sacrarum literarum, & etiam auctoritatem Moysi. Excellentia autem tanta est, quàm tam cogitare facilius, quàm uerbis assequi possumus: propter amplitudinem rerum, in scriptura sacra comprehensarum. Est enim Deus optimus maximus in ea comprehensus, qui lucem habitat, ad quam nemo ne subtilissima quidem, ne firmissima mentis acie penetrare potest: ob eam rem debet esse scriptura non omnibus ad tractandum exposita, ut neque Deus ipse à nobis non modò tangi, sed ne uideri quidem potest. Par enim est, ut rerum amplitudini scriptura respondeat: & ut quantum rebus debetur, tantundem earum libris, quibus hæ continentur, tribuatur. Vt enim res sublimes & preciosissimas non cuiuis tradas: sic scriptura sacra, quæ omnium scripturarum præstantissima est, non omnibus patere debet. Regum epistolæ & secreta non in aperto omnibus sunt, non ad eius scrinia omnes admit-

tuntur, sed unus aut alter, aut denique paruus hominum numerus, et eorum amicissimorum lectissimorumq̃: cur non idem in scrinijs & epistolis arcanorū diuinorum faciamus? Quasi uerò maioris momenti negotia regum literæ, quàm Dei habeant. Quasi uerò maiores commoditates regum, quàm Dei literę serant. Hoc scilicet est in causa, hoc scilicet debent esse secretiores regulorum epistolæ. Hinc factum est, ut Aegyptij, homines à uerò Dei cultu alieni, ñ tamen qui natura duce & prudentia ducti, pulchrè excogitarent, libros de diuino cultu, quem suis Deastris exhibebant, secretioribus literis tradi oportere, neq; eos in omnium manus uenire paterentur. Hinc Hetrusci noluerunt libros de religione suos, uulgaribus linguis contineri: sed aut signis, aut figuris quibusdam: aut allegorijs Religionem edocebant, quorum libri tametsi uernaculè loquerentur, attamen quoniam ab ijs solum qui in eis studio & diligentia fuissent uersati, didicissentq; eos ab alijs, intelligebantur, propterea pro non scriptis uernacula lingua à me putantur. Quid? Romani concederunt omnibus libros sacrorum, ceremoniarumq̃: non: sed erat etiam horum religioni suus pontifex, suus antistes, sui doctores: ad quos si quid de religione rogandum esset, referretur. Sacerdotes illi curam agebant librorum sacrorum, & religio-

nis

nis seruandæ: reliqui de populo aut humanio-
 ribus literis animum applicabant, aut causas
 agebant, aut stipendia faciebant, aut Rempu-
 blicam administrabant, aut in suis uitæ quisq;
 muneribus, prout erat uitæ genus, elaborabat:
 nemo religionis decreta & libros attingebat.
 Hinc extitit illa celebris fama & laus Tarqui-
 nij, qui M. Tullium Duumuirum, quod librũ
 secreta ciuiliũ sacrorum continentem, suæ
 custodiæ commissum, corruptus Petronio Sa-
 bino describendum dedisset, culleo insutum, in
 mare abiecti iussit. Tantæ habebatur religioni,
 libros de Deorum cultu in cuiusuis manus in-
 cidere. Quid: Augures, aruspices, coniecto-
 res, Arioli, quoniam suis libris diuinitatem tri-
 buebant, num eos populo legendos dabant:
 an non abditiſſimis in locis eos occulebant:
 Quid referam Assyriorum, Persarum, Græco-
 rum, & in Gallia Druidum sacerdotum de li-
 bris sacrorum occultandis consuetudinem:
 Omnes hi mirificè in eo elaborabant, ut à pau-
 cis et sui ordinis hominibus, sacri suorum Dea-
 storum libri legerentur, ab alijs ne attingeren-
 tur quidem. Quid autem: an maior reuerentia
 debetur futilibus libris deorum nescio quorũ,
 imò scio, dæmoniorum uolui dicere, quàm
 Dei summi, optimi, maximi: Illi falsæ ac nefa-
 riæ religionis libros in secretissima quæq; loca
 abdebant, neq; solũ eos ab imperita plebe,

aut patricijs legi non patiebantur, sed ne aspici quidem certè: & nos feremus ab omni hominum genere non solùm legi, relegi, uerùm etiam gestari manibus, ac lacerari: Atq; hæc habui dicere de librorum sacrorum excellentiâ, quæ ex humana prudentiâ sumpta sunt: illud quod sequitur, multo est præstantius, quoniam Mosis, uatum excellentissimi, & sermone & exemplo nititur. Is enim tabulas legis diuinæ in arcam inclusit, in qua seruabantur religiosè: neq; dicitur (quantum memini) earum copiam Israelitico populo fecisse, ut ad omnium usum transcriberentur. Ex quo intelligitur, Mosem uoluisse, ut non omnes sacram scripturam attingerent: aut id uerbo aliquando præcepisse, aut saltem hoc exemplo significasse. Si enim è Republica esset, libros sacros ab omnib. legi: probabile est, id eum præcepturum fuisse, aut saltem (qui eius erat in Israelitas amor) ut tributim iam descripti libri diuiderentur, curaturum fuisse. Sed neutrum fecit: quin potius in arcam eos inclusit, quàm ipse & Aharon & Leuitæ penes se seruabant: quasi eo ænigmate insinuaret, librorum sacrorum cognitionem ad solos sacerdotes pertinere, eosq; solos habere potestatem & claudendi & aperiendi. Quod autem tu, cum uoles, & claudes & reseres, id tuum est: ideoq; legem diuinam reconditam esse oportere, nec nisi à sacerdotibus habendam.

dam. Declarauit hoc apertius multo iam iamq̄
moriturus Moses, quum uocatis ad se sacerdo-
tibus Leui prognatis, in omnium Israelitarum
conspēctū, legem à se cōscriptam, seruandam
dedit: & deinde Iosuaē, sacerdotibus, omniq̄
Israelitarum senatū ita præcepit: Septimo quo
que anno in solennitate anni remissionis, fe-
sto Vmbraculorum, quum uniuersi conuene-
rint Israelitē, ad comparandū in Iouæ Dei ue-
stri conspēctū, in electo ab eo loco, recitatote
hanc legem coram, in auribus omniū Israelita-
rum, cōgregato populo, uiris, sceminis, paruu-
lis, & uestratibus peregrinis, ut audiant, ut di-
scant, ut Iouam Deum uestrum uereātur, om-
niaq̄ huius legis dicta curent exequenda: ut
imperiti eorum nati, audiendo discant Iouam
Deum uestrū metuere, quandiu uiuētis in ter-
ra, cuius occupandæ gratia Iordanē traiecturi
estis. Hactenus Moses. Ex quo intelligis, non
omnibus tum fuisse palam sacras literas: quan-
doquidē præcipit, ut septimo quoq̄ anno, om-
ni populo audiente, Lex publicè legatur, ut di-
scāt omnes omnis etatis et sexus homines, mā-
data Dei, eaq̄ exequantur. Dicam audacter et
fidenter, sed tamen dicam, mihi uideri unum
tantum legis librū à Mose relictum esse popu-
lo Israelitico: idq̄ ob eam rem (ut opinor) ne
populus legem apud se retineret: tanquam ab
imperita multitudine legem tractari, nefas ar-
d 3 bitra-

bitraretur. Nec leui de causa moueor, addu-
corq; in hanc sententiam. nam Iesiam Iudææ
regē legimus, laceratis indumentis ingemuisse
ac fleuisse molliter, nullam aliam ob causam,
nisi quòd dum in templo louæ Hierosolymis
inter ruinas faniliber legis repertus esset, co-
gnouit quantopere ipse cum populo uniuerso
à mandatis Dei recessissent. Doluit sanctus ac
pius rex, tantum facinus aduersus Deum ad-
missum fuisse, ut eius decreta & præcepta in si-
tu & squalore miserè iacerent: quorum ignora-
tione (ut in quarto Regum est) desitum erat à
populo inseruire Deo. Quì igitur fieri potest,
ut si ab uniuerso populo lex Dei haberetur, te-
neretur, legeretur, tanta obliuio eorum om-
niū animos occuparet, nemo ut sciret manda-
ta Dei? Quid plura? repertus est liber legis, er-
go erat perditus. In uno libro ut iactura fiat, lex
non interit: atqui in eo libro lex perierat, ergo
unus erat tantū liber legis. Quòd si unus, isq;
penes sacerdotes erat: libros sacros ex Mosis te-
stimonio populus nequaquam uel habuit, uel
legit. Quocirca uertendi non sunt in linguas
uernaculas libri sacri, si Mosis authoritati quic-
quam tribuamus. Quid? an non, si uernacula
lingua scriptura sacra loquatur, uilis iacebit at-
que contempta? Quid ita? quia maior erit li-
brorum copia, & facilius intelligentur: quoru
alterutrū quantumuis excellentē preciosamq;
rem-

rem deprimit, multo magis si in una eademque re inueniantur, eam deprimet & quasi concubant. Et copiae quidem ea est natura, ut satietatem creet, satietas fastidium: & quod fastiditur, nemini non sordet. Id ita contingere necesse est, quoniam si raritas penuriamque admirationem parit, abundantia, quae ei opposita est, contemptum gignet. Nam quod quisque admiratur, id amat: & quod admirationem nullam habet, id facile contemnitur. Hanc esse tum copiae tum penuriae certissimam naturam, licet in rebus omnibus intueri. Nam solis & lunae defectiones, nemo non studiose intuetur, quum eorundem & solis & lunae quotidianum cursum conversionemque aut nemo aut perpauci spectent, & ij sine studio et sine admiratione: nimirum quod alterum per raro eueniat, alterum et noctu & interdiu cuius spectandum proponatur. Micantes stellas sideraque nemo admirat, & Cometes omnes in admirationem rapit: hic rarissime micat: ille semper. Pluit sanguine, aut ranis, fit undique concursio ad inspicendum: at si aqua pluatur, nullum studium uidendi, nullaque concursio est. Solitum fluuioium cursum nemo admiratur: at si redundauerint amnes, si alueum deseruerint, aut mutauerint, multi admirantur: uidelicet quod alterum semper uideant, alterum non item. Mulam peperisse omnibus admirationi est: cur non etiam admiremur, si equa, si uacca, si canis pa-

riat: nempe quòd mulæ parere aut nunquam aut rarò obtingat: illis, quas dixi, animantibus suos quotidie partus uideamus. An non in hominibus talia quoque reperies? Nam solitæ staturæ homines nemo miratur: sed si longissima aliquem aut breuissima præter cõsuetudinem statura hominem natum intelligimus, tanta dumur admiratione, ut eum cum studio uideamus, uelinus uidere, et interdum alloqui. Principes item in Republica uiros, siue sapientia alijs excellât, siue rei militaris gloria præstent, quotuscumque non amet uidere: usque eò, ut iam huiusmodi uiri soleant depingi ad uiuum, ut omnium uidendi eos auiditas quum nõ possit uero, adumbrato saltem fictoque aspectu expletur ac satietur. Denique ita natura comparatũ est, ut et admirémur quæ rarò accidunt, et quæ frequenter accidunt negligamus. Vnde colligi facile potest, si scriptura sacra passim et ubique reperiat, eam futuram esse nihili. Iam si omnes diuinam philosophiã manibus tractet, conenturque eam discere studio, diligentia, cura, meditatione: id assequetur, ut eam intelligant, nihil enim nõ comparatur labore: & quicquid cum cura discas, facile assequaris. Si igitur ab omnibus scriptura sacra intelligatur, non ne putabis eam abiectã uilemque hominibus futurã? Nam quæcumque nõ intelligas, ea admiraris maximè: quoniam quum captum tuum excesserint, plena esse

na esse mysteriorum iudicatur, Quibus autem
 mysteria tribuas, eisdem uenerationem quan-
 dam, tanquam diuinitatem, des. Hinc ueteres
 philosophi secreta rerum naturalium, quæ alio-
 qui per se difficilia sunt, fabulis, commentis, tot
 denique tamque implicatis sinibus inuoluerunt, ut
 nullam ex eis lucem, nisi ingeniosissimi & saga-
 cissimi quique acciperent. Voluerunt illi sapien-
 tissimi uiri cognitionem de rebus cum labore
 operoso et molesto haberi, ut ne facilitate expli-
 cata, rei excellentia sorderet. Hinc Aristoteles
 dicitur de industria obscuritatem rerum tractan-
 darum affectasse: ut, quemadmodum ipse de se
 testatur, qui se non audissent, non plus lucis ac-
 ciperent ad eruditionem, quam si scripta non
 legissent. Et merito quidem, mea sententia, hanc
 rationem tenuit Aristoteles, cum ceteris philo-
 sopheris. nam quum ipsi ea lingua scriberent, que
 populo etiam communis erat, omnes omnis or-
 dinis homines ad philosophiam accessissent: cu-
 ius aditus, iter, extremum si arduum nihil habuis-
 set atque difficile, contempsissent & philosophos
 & philosophiam. Sunt enim difficilissima quæque
 charissima nobis: & facilissima, pro contemptissi-
 mis habentur. Quid ergo non ne plures erunt
 de theologia libri, & facilius intelligent? Non
 ne si plures sint, maior erit copiat ac proinde ut
 à nobis probatum est, sorderunt? Non ne faci-
 litate (ut philosophorum & Aristotelis exem-

plo probatum est) libri artesq; disciplinarum in
 eam incurrunt hominum opinionem ut abie-
 ctæ contemptæq; iaceant. Quamobrẽ uerten-
 da in uulgi promiscuam utilitatem & linguam
 non est sacra scriptura, ne uel propter nimiam
 librorum copiam et ubertatem, uel propter ni-
 miam facilitatẽ, abiecta & uilis habeatur. Fru-
 stra præterea uiderentur tot pontifices, tot ec-
 clesiastici ministri, tot doctores, tot concio-
 natores constituti, si promiscuæ multitudinĩ
 Biblia legenda proponantur. Quid enim fa-
 cient conciones ministri Dei ad populum ea
 de re, quã unusquisq; per se ex libris intelligat?
 Num aliunde quã ex sacris libris conciona-
 tores orationum suarum argumentum sumũt?
 Num aliunde probationes afferunt? Agũt de
 Deo, de eius filio Iesu Christo, de sancto Spiri-
 tu, de libera uoluntate, de peccato, de lege, de
 fide, de gratia & Euangelio, de æterna siue ui-
 ra, seu morte, de supplicijs & premijs: omnia
 ex Biblijs desumunt, omnia in Biblijs conti-
 nentur, uel apertẽ & planẽ, uel per anfractus
 & circuitiones. Quis igitur doctorem in eo de-
 sideret, quod tu ad manum libro uberrimẽ
 suggerente, habeas? Alterutrum necesse est fa-
 teamur, uel doctores & ministros Verbi diui-
 ni esse superuacaneos, uel Biblia non esse ab
 omnibus legenda. Est item sublimior sacra scri-
 ptura, quã ut eam homines plebeij intellige-
 re pos-

re possint. Nam ut iam aliàs nonnullis rationibus probatum est, et auctoritate Augustini cōfirmatum, nulla scientia est, nullaq̄ doctrina, quæ maiorem ingenij acrimoniam desideret, iudicium maius requirat, diligentiam maiorem, operam, industriam, totum denique hominum desiderat. Quod sensisse mihi uidentur sanctissimi illi uiri, Theologi grauissimi quorum alij nemini se ad colloquendum dabant, alij solitudinem petebant, ut omnibus curis negotijsq̄ uacui, & melius & facilius in libris sacris commentarentur. Atq̄ hi quidem (qui multi fuerunt) hoc unum sua industria, labore ac diligentia consequuti uidentur, ut aliquid & ad suam et ad populi opinionem, in sacris literis profecisse putarentur, nemo ut tamen perfectam cognitionem assequutus dicatur. Quod igitur sanctissimi Patres, Theologi summi, in maximo otio, singulari ingenio, iudicio incredibili, non sunt assequuti, quo pacto homines plebeiij aut quiuis alij, præter Theologos, summis negotijs obstricti ac implicati, sine cura, sine labore, ingenio infœlici, & iudicio parum confirmato assequentur? Hos omnes (intellige istos ad quorum utilitatem transferenda est in uernaculam linguam scriptura sacra) sæpe uideas magnis difficultatibus teneri in re facili, leui, ac nullius momenti. Artes mercenarias, quas tractant, non nisi difficulter
& tem-

& temporis longinquitate percipiunt: percipiunt autem. imò uerò plerosque reperias, qui eam artem, in qua ad extremam usque senectam sunt uersati, ita norunt, ut nihilo plures fecisse uideantur progressus, quàm si ad eam nunquam accessissent. Quid tu ad hæc? nihil est quod respondeas. Non igitur est quòd isti homines, artifices, mercenarij, homines negotijs implicati, aut non exercitati in rerum cognitione, literas diuinas tractare uelint. Neq; mihi animaduertisse uideris, quanta sit theologiæ professio atque dignitas, quum ad sacros libros omnes equè homines admittendos censeas. Quicumque enim in sacris literis diligenter uersantur, conanturq; in eis uoluntatem Dei intelligere: hi, meo iudicio, Theologi nominantur. Est enim Theologia, quod ex uinominis intelligitur, sermo de Deo: quem quicumq; tractant, si nominis ratio habenda est, Theologi nominantur. Appellabitur igitur calcearius Theologus, faber Theologus, pisttor Theologus, lanio Theologus, topiarius Theologus, textor Theologus: garrula anus Theologa dicetur, puella temeraria & leuis Theologa nominabitur. Atqui Theologi nomen tanquam onus grauissimum multi recusarunt, nec suis illud uiribus par esse existimant. Appellabitur igitur infimus de plebe, & imperitissimus homuncio, eo nomine, quod

multi

multi, & quidem graues uiri, tanquā se maius recusarunt: Fuere de antiquis Patribus nascentis Ecclesiæ aliquot, qui ex Theologia cognomen sibi compararunt: ut beatus Ioannes, & Gregorius Nazianzenus ecclesiæ Græcæ doctor singularis. Non igit nos, pudebit, sanctissimum Theologiæ nomen à uulgo imperito temerè & indignè usurpari: Auertamus igit tale, penè dixerim, omen, nec sinamus per superbiam ignaros homines tam præstanti nomine abuti. Hoc nulla alia ratione neque melius, neque certius efficiemus, quam si secretioribus literis disciplina sacra contineatur, ut ad eam non omnibus pateat introitus. Quare ridiculè, aut superbe, aut temerè facere uidetur, quicumque sacram scripturam in uulgares linguas exprimi debere putant. Et putabis, sat scio, frustra tempus & operam consumi in uertendis Biblijs: quæ ubi uersa fuerin, nullo hominum ordini, sexui, generi usui futura sunt. Nam ut tu dicis (intellexi enim aliquando ex te, propter imperitos homines uerti debere) homines indocti & ignari ex istis traductionibus utilitatem capient et uoluptatem. Quam utilitatem & quam oblectationem ex eis collecturi sint, non intelligo: & iam ego antea probaui, nullam fuisse accepturos: id quod ex his quæ supersunt dicenda, apertius multo intelliges. Nunc tamen sic habeto, idiotis & imperitis nihilo plus scripturam ex una
trium

trium linguarum interpretatam in sermonem uernaculum, profuturā esse, quā si uersa non fuisset. Id facili colliges, si idiotarum hominum genera, in suas partes tribuamus: quorum alij pueri sunt, alij prouecta ætate: in quibus ætatibus & sceminæ etiam reperiuntur, omnis ordinis atq; status. De his qui prouectę sunt ætatis, mox: nunc de pueris agamus. Non ne tibi uideatur turpe negotijs ad Rempubicam spectantibus pueros interesse? Non ne pessimum dicas, puerum negotia regum præstantissimorum uelle gerere? Non ne indignū clames, tantam audaciam in puero reperiri, ut ausit de re totius orbis præstantissima difficilissimaq; disputare? Sed quid ego te ista rogē? cum imperitissimus quisq; ista omnia sit concessurus. Dicent omnes ad unum rem esse nō turpem, aut flagitiosam, aut nefariam, sed planē ridiculam. Nō enim tantum imperitæ ætati tribuetur, ut quicquam per nefas & scelus faciat, sed per temeritatem et errorem, quibus multis illa ætas circūuenitur atque opprimitur. Quare grauioribus quā pro re uocabulis sum usus, & res ipsa ut leuis est, ita leuitatis uocabulo nominari debuit. Itaq; ridiculum est pueritiā in negotijs grauius, & his quæ iudicij maturitatem requirāt, uersari. Quid hoc, te per Deum oro, aut maius negotium, aut grauius, aut implicatius homini proponi potest, quā in scripturis sacris uersari?

fari: Ridiculum est à puero negotia hominum
 tractari: at quanto magis ridiculum fuerit Dei
 negotium à puero geri: Scis tu magnam requi-
 ri ingenij uim, & iudicij excellentiam, ad res
 qualisq; tractandas: quib. ingenij & iudicij facul-
 tatibus cum pueri per ætatem careant, qui po-
 terunt scripturas sacras tractare cū fructu: imò
 uerò qui poterunt tractare: Legant, relegant,
 perlegāt interdū noctuq; sacram scripturam,
 omnes recessus adeant, literarum formas nu-
 merent, habeantq; in numero, quid tum po-
 stea: An quæcunq; tractamus, intelligimus: an
 quæcunq; legimus, intelligimus: Viris exerci-
 tatis, eruditis, nō raro euenit, ut in philosophia
 cæterisq; humanis artibus multa dubitēt, mul-
 ta prorsus ignorent, in multis fallantur: quid fa-
 cient pueri rudes, ignari, sine ingenio, sine iu-
 dicio rerum & cogitandarum et perpendenda-
 rum: Cæcutient omnino, & nihil uidebunt.
 Præclare Aristoteles, sicut alia omnia, cauit, &
 scriptis testatus est, non esse pueris illam philo-
 sophiæ partem, quæ de Moribus inscribitur, il-
 lam inquam, pueris non esse explicandam, nisi
 cum per ætatem iudicio essent planè confirma-
 to. Aristoteles, ut uides, ab morum instituēdo-
 rum schola & libris pueros reijcit, & nos eis li-
 bros sacros concedemus: Quare si pueri neq;
 ingenio, neq; iudicio ualent, et Aristoteli quic-
 quam tribuimus, à Theologia illos arceamus.

Quod

Quod de pueris dixi, idem de puellis dictū uolo, quoniam par ferè in utrisq; ratio est: quamquam in puellis q̄ in pueris deterior aliquanto est, propter eas quas de foeminis recitabimus causas. Itaq; antequam ad eos uenio qui grandes sunt natu, quicq; possunt per ætatem ratione perfecta uti, de toto foeminarū genere non nihil dicamus, neq; eas idoneas esse ad libros sacros legendos ostendamus. Quod dum faciemus, ab diuisione hominū à me paulo antè facta minimè recedetur: sunt enim in mulieribus aliæ minores natu, quæ etiam sub pueritiæ nomine continentur: aliæ natu maiores, quas nemo negat sub altero diuisionis nostræ membro cōtineri. Foeminis igitur, siue puellæ sint, quod sub pueritiâ iam probatū est: siue grãdiusculæ, siue uirgines, siue cōiuges, siue uiduæ sint, permittendū nō est, ut in libris sacris uersent: quoniam ineptiores sunt, q̄ ut eos possint uel leuiter degustare. & ratio item maximopere reclamat. Primum enim, quod maximè ad legēdas sacras literas requirit, iudicio carent: quo fit, ut nihil sint in eis literis intellectuæ. Hoc autem ita se habere, ex his colliges, quæ ab eis quotidie fiunt, & etiam ex his quæ ex memoria antea actorum seculorū intelliguntur. Legas enim & uideas passim, & ratio ipsa nos docet, ipsas esse ad consilia præcipites, ad res gerendas leues, ad suscipienda negocia imprudentes, ad agenda

agenda incertas dubiasq; ad perficiēda uel nimis segnes, uel suprā quā par est diligentes. In periculis sapē non timent, ubi timendū est propter periculum quod eminet, & ociose stertunt, nec ullos timores animo concipiunt. In malis letātur, in bonis moerent: neq; secundam ferre possunt, neq; aduersam fortunā. Sapienter, qui dixit, si Temeritas esset sibi depingenda, quemadmodum Iustitia, Prudentia, Fortitudo, cæteræq; tum uirtutes, tum his cōtraria uitia depinguntur: abs se Mulierem depictum iri, nulla inscriptione, nullo ornamento, nullis signis additis. dicturos fuisse affirmabat, qui cunq; talem imaginem aspexissent, Temeritatem sibi uideri suis numeris absolutā atq; perfectam. Huc adde sententiam Aristotelis grauiissimi & subtilissimi rerum naturalium causarum indagatoris, qui dixit, Fœminam esse animal inchoatum & imperfectum. Præterea ingentem testimoniorum multitudinem, multorum seculorum autoritate, & grauissimorum hominum sententiā comprobatā: qui omnes ad unū, idem quod Aristoteles & ego, de fœminis iudicarunt. Et statura quidem uiris cū fœminis communis est: sunt parua statura fœminæ, sunt etiam uiri: sunt ingenti mole fœminæ, sunt etiam uiri. & quidem hi quā illæ frequentius uastiori corpore, quā pro solita consuetudine reperiuntur: quod nō nullis tur-

pe uideatur. Si singula corporis lineamenta in utroq; sexu contēplere, inuenies profectio nō solum nihilo fœminā uiris inferiorem, sed longē etiam superiorem. Nam caput, facies, oculi, frons, brachia, manus, collum, pectus, ceteraq; membra miram habent in fœminis inter se proportionem: singula singulis respondent, & mirifice consentiunt. In uiris, ut plurimum, nō est tanta proportio. Ergo si rem perpēdas, imperfectio non in corpore, sed in animo mulieris inest. Itaq; & ppter rationes quas adduximus, & propter Aristotelis testīmonium, dicamus non corpore imperfecto, sed animo imperfecto, mulierem & haberi & esse. Cui autem animus imperfectus est, huic sanitas opinionū nulla esse potest, neq; secum unquam concordabit. Est enim tum sanitas in mente, ut summis philosophis uidetur, cum magna est opinionum concordantia. In fœmina uerò, cuius animus imperfectus est, quo pacto opinionū cōsensio reperietur? Quod igitur inueniemus iudicium in fœmina, quod ad libros sacros legendos desideratur: nullum. Ergo neq; ad sacram Scripturam admittatur. Quod si tibi nimis asperum uideatur, non posse fœminas capere etiam in legendo eam oblectationē, quā uiri capiunt, licet per me alios habeant uernacula lingua cōscriptos libros, quos legant, ocij & tædij tallendi gratia: sic erit etiam fœminis
sua

sua in legendo oblectatio. Est item foeminarū
 munus & officiū, administrare rem domesticā
 ac familiarem, erudire liberos: in quibus rebus
 tanta esse debet diligētia, ut si uel mediocriter
 eas tractet, nullū tempus uacuū, quod possit in
 legendis libris ponere, repertura fuerit. Quod
 si puella adhuc maneat, sitq; in domo paterna
 uel alibi: eorū curis distraeta quæ à parentibus
 uel dominis imperabuntur, nullū tempus reli-
 quū ipsi fuerit, quod in libros possit impēdere.
 Hoc quū uiderent omnes omnis ætatis homi-
 nes, magna consensione iudicarunt, colum &
 fusum arma esse muliebrīa: quo prouerbio ad-
 monentur feminae, ut ad sua se arma exercēat,
 in alienis negotijs, qualis est lectio librorū, nē
 se misceant. Et uideas etiā foeminas, quæ uelint
 sapere, ubi multa legerint, ubi multa uiderint,
 ubi multa & multo labore meditatae cōmenta-
 tæq; fuerint, hoc unū consequi, per uanitatem
 suam, ut quantū Sapientiæ studijs tēporis ad-
 iecerint, tantum de mente sanoq; iudicio suo
 detraxisse uideantur. Accidit profectō his, ut
 ex stultis prorsus insanae fiant: sicq; in illas ele-
 ganter & uerè illud quadrat, Foemina sapiens
 his stulta est. Quæ quum ita habeant, ad literas
 sacras accedere eas nemo iudicabit oportere.
 Ad adolescentes, & ad uiros confirmatae æta-
 tis uenio, quibus tradenda scriptura Diuina
 non est, eum quod alij in his non sint prorsus

idonei ad talem lectionem: alij, quòd inepti
 planè reperiuntur. Sunt enim quidam, quibus
 si formam & delineamenta corporis adimas,
 cætera cum animantibus rationis carentibus
 communia habeant: quorum, ut etiam stultor-
 rum magnus est numerus. His si libros sacros
 legendos tradas, nihilo plus agas, quàm si des
 operam, quod inquit ille, ut cum ratione insa-
 nias. Qui enim rationis haud est compos, is ad
 Diuinam philosophiam non est aptus: quoniã
 hominibus illa, non bestijs est tradenda. Quid
 autem aliud est homo ratione nõ utens, quàm
 immanis bellua: tolle nomen hominis ab hu-
 iusmodi animantibus, sola bestia sub ficta per-
 sona apparebit. Ergo neq; ad horum utilitatẽ
 Scriptura sacra uerti debet. Sunt alij, qui inge-
 nio pollent, iudicio præstant, memoria excel-
 lunt, quibus uel inertia, uel incuria, uel per rei
 familiaris tenuitatem, uel per scelus, uel per for-
 tunæ flatus reflatusq; tales tantæq; naturæ do-
 tes aut delitescunt, aut suo officio munereq; uti
 non queunt aut interierunt. Hos homines, &
 idiotas & indoctos, & imperitos literati solent
 appellare: quibus nominibus omnes omnis ge-
 neris homines, & mares ac scæming, domini ac
 serui nobiles ac plebeij, summi ac imi continen-
 tur. Quare duo constituuntur à me huiusmo-
 di hominum genera: alterum idiotarum, alte-
 rum doctorum, id est, eorum qui artibus disci-
 pli-

plinisq; animum excoluerunt. ab his debet di-
 uina philosophia libriq; sacri perfecte cogno-
 sci, disci uel ad uerbum: ab alijs sanè ne attingi
 quidem licet. Quare sic statuo, idiotas & impe-
 ritos à libris sacris esse semouendos hoc nomi-
 ne, quòd studia artium nò coluerint. Nò enim
 potest Theologia percipi sine linguarum He-
 brææ, Græcæ & Latine cognitione: itemq; si-
 ne notitia Dialecticæ ac Philosophiæ. Et de
 linguis ut primùm agam, earum peritià hoc u-
 num præstat, ut ambiguas sententias, aut phra-
 ses, quæ unicuiq; lingue peculiare sunt ac pro-
 priæ, perfecte cognoscamus: quarum ignoran-
 tia, difficultatem parit immensam, & laborem
 incredibilè. Tot sunt in sacris literis Hebrais-
 mi, tot Græcismi, ut qui eas linguas, unde desu-
 muntur, non norit, frustra sit in reliquo elabo-
 raturus. Faceffit tantùm negotij huiusmodi phra-
 sium & normarum dicendi insolentia, ut multos,
 & quidem præstantes uiros, malè plerunq;
 torserit: multos in errores induxerit, & eos nò
 leues. Hinc Origenes dicitur septem exem-
 plaria ueteris Fœderis de Hebræo Græcè ex-
 pressa habuisse quæ summo labore maximisq;
 impensis compararat, ut ex codicum uariorū
 collatione lucem ad illustrandas huiusmodi He-
 bræorum phrasès haberet. Et cum non omni-
 no sibi ea in re satisfieret, uoluit ætate proue-
 cta, quin potius decrepita ætate, senio confe-

etus, rudimenta Hebraicarum literarum addi-
 scere, ut quicquid difficultatis sibi literæ sacræ
 ex Hebræo attulissent, id omne per Hebrææ
 linguæ cognitionem adimeret. Cognoscebat
 uidelicet bonus ille senex, & doctus, & salutis
 publicæ amans, quanti interesset ad ueram sa-
 crarum literarum cognitionem, linguam He-
 bræam habere cognitam atq; perspectam. Cē-
 suit hoc idem Aurelius Augustinus, eximius
 doctor, ac penè singularis, qui Origenē sequi-
 tus, uoluit etiā in senectute animum ad He-
 bræarum literarum studium traducere. Quid
 Hieronymus: nōne is per Hebrææ & Græ-
 cæ linguę peritiā, in qua mirificè excelebat,
 plura commoda in Remp. Christianā impor-
 tauit, quā decem aliorum hominum millia?
 Quis hoc melius sacram scripturam explicuit?
 Lege omnes authores, quicunq; aut in sacram
 scripturam commentarios ediderunt, aut seor-
 sum & separatim tractarunt aliquod argumen-
 tum: confer eos inter se, & quid singuli præsti-
 terint inspice: cognosces certè, quo maiorem
 quisq; habuerit Græcarum & Hebræarum di-
 sciplinarum cognitionem, eò in diuinis literis
 magis floruisse. Nec mirum: habent enim sin-
 gula quæq; linguæ quasdam natiuas uires &
 proprietates in rebus explicandis, ut in peregrī-
 nam linguam transferri nequeant commodè.
 Et alioqui quemadmodū quò propius à fonte
 tanq

tanquam capite aquam sumas, eo purior esse solet: sic quo magis ab ea lingua earum rerum cognitionem petas, qua hæ fuerant explicatae primò, purior comparatur notitia atq; perfectior. De Latina lingua quid dicam? Hæc, ut Hebræa & Græca, magnas habet commoditates & utilitates, cum propriam suam excellentiam (est enim præstantissima lingua) tū propter eorum dignitatem qui animi sui sensa Latinis literis aperuerunt. His adde, quod multò est maximum, huius lingue literis omnē Theologiam esse comprehensam, quod omnes vident: ac propterea esse quasi clauem diuinorū sensuum aperiendorum. Et quemadmodum reclusa & clausa sine clauē non aperias, quin serā frangas aut disturbes: ita profectò sine Latinæ lingue cognitione, qua diuinæ uoluntatis secreta occluduntur, referare nequeas. Quid plura: an non inualuit iam pridem hæc sententia, ut extra trium linguarum Hebræe, Græcæ, Latinæ peritiam, percipi de diuinis literis posse nihil, homines foelici ingenio nati arbitrentur? Quare si Origenis, Augustini, Hieronymi, & uulgari tum exemplo tum dicto moueamur, sine Hebræa, Græca, & Latina lingua, literas sacras nequaquam cognosci posse statuamus. Quid idiotæ, linguarum trium imperiti & rudes, quo pacto diuinos libros intelligent? nullo prorsus. Ergo his scriptura sacra non est

tradenda. Iam sine differendí ratione, quæ certíssima est rerum percipiendarū uia, quid idiótæ in sacris literis intelligent? Si rectè perpēdas Dialecticæ usum, nihil sine ea rectè tradi, nihil intelligi rectè potest. Nam in omni disciplina, quæ uia & ratione proficiscitur, & in quacūq; rerum dictione, siue scribas, siue legas, siue tecum meditēre, nihil sine argumentis & eorum legitima constantiūq; dispositione, tradi nec bene potest, nec intelligi. In diuidēdo is est usus, ut per gradus quosdam ad res quasq; uel ascendamus, uel descendamus; et in his definitio tanquam rerum diuisarum extremum, sic rem finit, atq; ita nobis certam tradit, ut nihil possit euidētius. Sunt præterea falsæ & litigiosæ argumentationes, quarum fallaciã si non teneas, decipiaris necesse est, et sepius & fœdius, quàm ut hominem deceat. Et si quid homine indignum est, fallacia & error longè sunt indigniores. Sunt rerum sinus, sunt implicatæ proprietates, sunt densissimæ tenebræ, quibus tota rerum natura circūfunditur: quas nisi Dialectica suo lumine illustret, necesse est qui in earum cognitione uersantur, cæci errent & uagentur. Vbi maiores tenebræ, ubi maiores sinus, ubi abditiores recessus, ubi maior rerum implicatio & inuolutio, quàm in diuinis literis est? Ergo Dialecticæ usum, si quisquam alius, certè is qui in studijs sacrarum literarum uersatur, maxime

ximè desiderat. Quí igitur poterit imperitus et
 idiota, literas sacras uersare & intelligere?
 Quid? Theologia potest ne sine philosophia
 disci? nequaquam: quia ea est basis & funda-
 mentum diuinæ philosophiæ, id est, Theolo-
 giæ, per quam sua principia Theologiæ con-
 stant & stant. Nam quæcunq; in Theologia de
 prudentia, de iustitia, de fortitudine, de mode-
 stia, ceterisq; uirtutibus, & harum contrarijs ui-
 ciositatibus disputantur, ea nisi à philosophia
 mutuemur, nec intelligi possunt, nec quicquã
 de illis percipi. Quid de animo? nõne is Theo-
 logo cognitus esse debet? At in philosophia e-
 ius natura, uires, facultates, affectiones expla-
 nantur. Quàm pulchrum est, & ad Theologiã
 necessarium, totius uniuersitatis uires intelli-
 gere? At in philosophia de unoquoq; rerũ ge-
 nere & uniuersè disputatur, & singillatim. De-
 um item, per ea quæ orta sunt, ut per cœlum,
 per elemẽta, per homines, per ceteras animan-
 tes, natura quasi digito nobis aperiente, intelli-
 gimus. Quí igitur naturam, Deum suum infi-
 nitis penè modis narrantem, audiemus, nisi
 Philosophiæ studia tractemus, cognosca-
 musq;? Ostendit enim philosophia mundi ini-
 tium, rerum omnium principia, ortum, pro-
 gressus, status, mutationes, interitus: quibus u-
 niuersis & singulis datur nobis, nõ solùm Dei
 significatio, sed etiam quasi per gradus quos-
 e 5 dam

clam ascensus ad immensam Dei maiestatem paratur. Quemadmodum igitur si scalarum gradus demas, non ascensum feceris, sed in imo loco consistas: sic qui de natura disputationem, que gradus est, & quasi scala ad Deum, aut tollat, aut nesciat, Deum non omni ex parte intelliget. Nesciet enim primum de Deo cognoscendo modum, qui est per res naturales. Quid motus cœlorum cognitione dignius? Etenim si domum conducere nemo uult, quin eam prius intueatur, circumspectat & intus et extra: cur non cœlestem illam domum, in quam sumus commigraturi, antequam proficiscamur, uideamus, & diligenter contemplemur? De patria aut urbe sua cognoscere pulchrum & iucundum quisque putat: de patria omnium nostrorum communi & præstantissima, quod cœlum dicitur, quid nisi quanta maxima possimus, cognoscamus? Hæc certe tantæ sunt iucunditatis, tantasque habent commoditates, cum in omnes uitæ partes, tum ad Theologiam cognoscendam, quantum ne longa quidem oratione persequi possem. Hoc intellexerunt, atque ita esse iudicarunt, tum uerbo, tum re ipsa omnes superioris memoriæ Theologi, qui nihil de Theologia sibi extra naturalium rerum cognitionem intelligendum putarunt. Quare hi scholas aperuerunt de natura rerum, in his adolescentes detinebant, in his eos rerum naturalium motus, affe-

affectiones docebāt, et proprietates: à quibus
 quum discesserant, ad Theologiam rectā pro-
 ficerecebantur. Hæc cōsuetudo uiguit iam olim
 Alexandria, ubi scholam Apostoli dicuntur e-
 rexisse: & ab ea per uniuersum Christianismū
 manans, ad hunc usq; diem durat & retinetur.
 Hinc Græcæ ecclesiæ doctores philosophiæ
 prius quàm Theologiæ studia coluerunt: &
 nostra memoria & auorum, quicūq; Theolo-
 giam didicerunt, primū omnium se ad phi-
 losophandum contulerunt. Quid Origenes,
 cui tu tantum tribuis (ut ex te sæpe intellexi)
 quantū nemini de cæteris arrogas, nonne phi-
 losophus summus & habitus est, et fuit: nonne
 in Platoniorum numero habetur? Quid Hie-
 ronymus? quid Augustinus: nonne Peripate-
 ticis literis imbuti, Theologicos libros in ma-
 nus assumpserunt? Existimabant enim uerū,
 constans, & firmum Theologiæ fundamen-
 tum, Philosophiam esse: & Platoni & Aristoteli
 huius quasi fabricæ materiam & opus esse
 commissum. Transeo hic Basilios, Cyrillos,
 Athanasios, Gregorios, Ambrosios: quorum
 longissima institueretur cōmemoratio, si uel-
 lem omnes persequi, qui philosophiæ studium
 cum Theologia coniūxerunt. Quocirca si phi-
 losophiæ cognitio utilis est ad Theologiam per-
 cipiendā, atq; adeo necessaria, quod & ratio-
 nibus & autoritate, exemploq; summorum
 Theo-

Theologorum confirmatum est, si idiotæ, quo nomine & puer & grandis natu, tam mares quàm fœminæ continentur, philosophiæ sunt rudes: si imperiti sunt linguarum Hebrææ Græcæ, Latinæ, si ignari sunt dialecticæ, sine quarum omnium artium facultate ac studio Theologia percipi nequaquã potest, idiotæ non debent iacros libros ad cognitionem Theologiæ in manus sumere, legereq;. Sed quid ego argumētis his tot tantisque utor, quum uno tantum argumento, eoq; maxime necessario sententiã possum tuam longè lateq; profligare? Quid si probem, in uernaculam linguam libros sacros nullo modo uerti posse: nonne funditus euersam dices opinionem tuam? faciam igitur ut intelligas, sic se rem habere, ut à me proposita est.

Refer animum ad Hebræam linguam primò, & considera quantis difficultatibus ea sepiatur. Lingua est, quantum ex sono conijcere possum (quod optimè nosti) uasta & horrida, quo nomine à paucioribus discitur: & in quo paucilaborat id solet esse minus cultum, magisque difficile. Est præterea lingua omnium præter Chaldæam antiquissima (quanquam ea de re adhuc sub iudice lis est, utra harum sit uetustior) & quemadmodum delet humana omnia longa dies, sic etiam antiquissimas quasque linguas aut destruit, aut labefactat, aut ita commutat, ut longè aliæ hoc tempore quàm olim fuisse uideantur.

deantur. Sic uideas quàm plurimas complu-
 rium nationum & populorum linguas ita ex-
 tinctas, ut earum uestigiũ nullibi impressum
 appareat. Quid igitur censes in Hebræa lin-
 gua factum esse: quantas mutationes eam acce-
 pit: quàm immutata est ab illa ueteri? Et ta-
 metſi dicamus hanc unam alia fuisse, quàm cæ-
 teras, conditione, ita ut quum reliquæ aut ma-
 gna ex parte, aut in totum perierint, hæc una
 per hostes: per ignes, per insidias, per euerſio-
 nes suorum populorum, à quibus colebatur,
 indemnſi ſinceraq; ſeruata ſit: attamen tantam
 ſecum adfert obſcuritatem, ut intelligi perfe-
 ctè nō queat. Primũ quòd unum idemq; no-
 men duas aut tres quatuor interdũ aut quinque,
 & uerò etiam decem habet ſententiã: quas qui
 poſſis diſtinguere, nō uideo. Dices tu in hanc
 accipi ſignificationem, ego contrã in illam: hic
 unum defendet, ille alterũ: alius deniq; aliud,
 & interdum diuerſum diſputabit atq; defen-
 det. Porro autem quid ambiguitate ad intelli-
 gendum peius? Quid mentis noſtræ explican-
 diſ ſenſis ambiguitate nocentius? Hinc fit, ut
 ſemper certamen ſibi inter ſe omnes qui He-
 bræam linguam intelligunt, inſtituerint, & in-
 ſtituant: quòd pro ſignificationum ambigua
 uarietate, in uocabulo eodem paria contrarijs
 in partibus momenta rationum inueniantur,
 ſicq; incerti de incerta ſignificatione incertè al-
 tercan

tercantur. Rabini pugnare inter se: alius aliud pro arbitrato suo defendit, nec sine ingenti rationum apparatu & copia defendit. Hic citat nescio quæ exemplaria, ille nescio quid ex Caballa sua; id est, ex ea traditione, quam de manu in manum à maioribus acceperit. Hic à radice una (sic enim uerborum themata appellant) ille nō nisi ex alia uocabulum de quo ambigitur, originem traxisse contendit. Defendit se unus Bibliorū certissimo testimonio, quod pro se faciat: alius ad eadem Biblia confugit, etiam inuenit aliquid, quo se suamque sententiā tueatur. Rīdīcula mihi interdum uidetur, & theatro digna Rabīnorum inter se concertatio, quum in uno et eodē loco, unum idemque uocabulum dicant, non quibus afficitur punctis (sic enim notas appellant, quibus uocaliū uis explicatur: quanquā non ignoro esse etiam Hebrææ linguæ suas præter puncta uocales, quod ijs qui in Rabīnis diligenter uersantur perspicuum est) non, inquam, quibus afficitur punctis, sed alijs notari oportere: & id uitio eorum accidisse, qui tales notandi formas inuenerunt. Solet conqueri in similibus de punctorum inuentione, contenditurque omnē difficultatē à solis punctis in sacra Biblia irrepsisse. Consule peritissimos Hebræicæ linguæ uiros de aliquo uocabulo, aut sententiā aliquantūm implicata; uel nunquam, uel quā rarissimē idem

idem responsum accipies: recedes incertior,
 quàm accesseras. Ex hac Hebrææ linguæ ua-
 rietate, orta est tam multiplex, tamq̃ uaria uer-
 forum Bibliorum multitudo, dum ex linguæ
 uarietate, uel difficultate potius, aliud aliud nec
 sine ratione sibi uideri contendit. Quæ diffi-
 cultas unâ nata est cum ipsa lingua, quoniã (ut
 ex multis & antiquissimis libris apparet) iam
 olim cum populus esset qui Hebraicè loque-
 retur, de uerborũ & simplicium & cõiunctio-
 rum significatione & coherentia uehementer
 ambigebatur. Et temporibus Origenis, qui nõ
 ita multò post Apostolos fuit, septem, ut dixi,
 fuerunt exemplaria, ex Hebræo Græcè facta:
 quod nunquã profectò tot extitissent, nisi diffi-
 cultas linguæ grauissimam attulisset toties in-
 terpretandi occasionem. In tanta igitur lingue
 uarietate, quanta ne ipsis quidem qui noctu &
 interdiu summo labore & diligentia in studio
 eius assiduè uersant, nota sit: quí poterit quic-
 quam certi ex ea percipi? Quod Rabini ipsi
 non intelligunt, quí poterunt alij homines ta-
 meti docti intelligere? Ergo tanta est linguæ
 Hebrææ uarietas ac difficultas, ut nec intelligi
 nec uerti commodè possit. De Græcis autem
 literis non opus est dicere, quoniam notiores
 sunt tibi, quàm ut de illis quicquam dicendum
 sit. Es enim in eis diligenter uersatus. & cū cu-
 ra, quanta fortasse alijs quispam, Repere igitur

tur animo quantos exhauseris labores in Græca lingua ediscēda, recognosce infinitas uarietates idiomatū: & iudicabis, sat scio, uel ijs qui foelici ingenio, singulari studio, & cupiditate discendi incredibili, totum uitæ tempus in ea consumpserint, tantam proponi difficultatem, ut in plerisque locis cogantur aut errare, aut allucinari, aut diuinare. Antiqua est querela hominum studiosorum, & de Republica literaria non malè meritorum, qui exoptulant cū multis interpretibus, qui docti quū essent, & Græcis literis non mediocriter imbuti, de Græcis bonis Latinos libros malè fecerunt. Horum exempla multa sunt, quorum nonnulla quum de Latinae linguae difficultate agā, audies: singula enim persequi laboris esset immēsi, quoniam exitus nullus esset. Venio igitur ad Latinae linguae difficultatem. Sæpenumerò mirari soleo quī fiat, ut cum multi se Latinae linguae dedant, alij in medijs consistant, alij infra medios, nemo tamen ad summa perueniat. Perueniat uerò? imò multi de his qui summa uidentur attingere, humi, si attendas, repunt. Sūt & in his qui Ciceroniani & esse & dici uolunt: quorum palatū ita delicatum est, ut preciosissimos quosq; ut ita dicam, orationis præter Ciceronis apparatus, cum stomacho fastidiant. Sunt alij, qui quum non ea teneantur uerborum Ciceronianorū superstitione, om-

nem

nem orationis copiam & ornatū ab omni authorum genere sine discrimine colligunt, modo eius sint generis authores, ut penes se habeant emendatę loquutionis auctoritatem & laudem. Sunt alij, quorum me pudet meminisse, qui hoc unum affectasse uidentur, ut quā a se fieri barbarissimę possit, sensa animi Latine eloquantur. Errauī, nam quiduis potius quā loquuntur; garrunt, ut uerę dicam, grunniūt, latrant. Inter hos omnes certamen perpetuū institutum est, ita ut alij alios despiciant atq; cōtemnant. Vnusquisq; tamen in suo genere bene se loqui putat. Eo res iam multis abhinc annis processit, ut libris euulgatis pro sua quisq; parte causam diligenter egerint. Non opus est de his, quę in sermone quotidiano in hanc sententiam disputantur, quicquam referre, quoniā et plura sunt, q̄ ut breuiter dici possint, nec ea uos puto latere: nemo enim est uestrum, quin aliquando inter sermones in huiusmodi disputationem inciderit. Quibus de causis hæc fiat, & a me dicantur, uos omnes intelligitis: nimirum ut uideatis, quanta & qualis sit in hac lingua difficultas, de qua tot sint opiniones, tot uarietates, tot dissidia. Quinetiam illis ipsis qui primas agere Latine lingue putantur, maior est de lingue cognitione inter se disceptatio atq; contentio. Cuius rei illud est satis argumentum, quod hi qui de Græco in Latinū quipiam

piam conuertunt, alius alio modo, alijs uerbis
 unam & eandem sententiam transferant. Nec
 in minimis illud putandum est, esse hodie eun-
 dem librum sexies aut septies Latinis literis ex
 Græco redditum idèq; per diuersos interpretes,
 quorū linguli ceteros reprehendūt, uel quòd
 Græcam linguā non planè tenerent, uel quòd
 uim Latinæ linguæ ignorarent. Id uideas resta-
 tum in omnibus Latinorum librorum de Gre-
 co factorum præfationibus, & etiam in libris
 aliquot in hanc rem editis: ut ostenderent eos
 qui ante se librum eum Latinum fecissent. lin-
 guæ Latinæ fuisse imperitos. Huius generis
 extat præter ceteros tractatio quædam breuis
 Ioachimi Perionij, & Lodoici Strebæi. in qua
 unus alterum uehementer reprehendit, quod
 in libris Ethicorum Aristotelis conuertendis,
 Latinæ linguæ proprietatem (ut ipsis uideretur,
 fice enim alter in alterum inuehitur) ignora-
 rint. Quanta sit uarietas & multitudo librorū
 de Græcis sapius conuersorum, cum multis
 ex alijs, tum præcipuè ex hoc uno Ethicorum
 Aristotelis ad Nichomacum libro colligi po-
 test. qui à multis & Græcæ linguæ Latinæq;
 instructissimis: tamenli conuersus in Latinā sit,
 desiderant tamē docti multi quandam, ut ipsi
 dicunt, interpretis fidelitatem, quam in nullo
 reperiunt. Sed quales uiri hunc librum transu-
 lerunt: Boethus, Argyropilus, Strebæus, Se-
 pulueda,

pulueda, Perionius, ut taceam interim anti-
 quum quendam interpretem, cuius nomē aut
 non extat, aut mihi non est notum. Qui igitur
 toties unum librum uerterint, conuerterint, &
 non sine partiū contentione conuerterint, ad-
 hucq; in eo multi & graues uiri multa deside-
 rent, quī fieri potest, quin magna sit Latinæ lin-
 guæ difficultas? Hæ igitur causæ me impel-
 lunt, ut credam, neq; de Hebræo, neq; de Gre-
 co, neq; de Latino commodè in uernaculā lin-
 guam transferri posse. Nec in uernaculis lin-
 guis minor est difficultas: quandoquidem hæ
 suas etiam habent uarietates, & uerborum sint
 plicium & coniunctionis, unde dicendi for-
 mæ & phrasæ emanant. Quod in multis pro-
 bare possem, id ego uno exemplo declarabo.
 Vertatur igitur Scriptura sacra, exempli causa,
 in Italicam linguam. Hic Hetruscus, qui laudē
 emendatæ locutionis, ut plerisq; uidetur, ha-
 bet, si eam in Ligubardicum sermonem trans-
 latam uideat, multa malè fœdeq; dici, multa in-
 propriè, multa ineptissimè contendet. Tantum-
 dem affirmabit Apulus. Quòd si in Hetrusco-
 rum linguam transferatur, Apulus & Ligubar-
 dus ei reclamabūt, aduersabūtur. Quid, quod
 nec qui unam & eandem linguam & loquun-
 tur & approbant, omnes inter se Itali consen-
 tiunt? Alij Bocatio similes, alij Petrarchæ, alij
 Dantio esse uolunt: habet quisq; suas dicendi

formas, sua lecta uocabula, quibus adeo sibi placent, ut quicquid ad suam hanc loquendi formam non sit directum, barbarum esse, improprium, contentiose & cum fastidio clament. Vertatur, si uis, in Hispanicam linguam, & quoniam cum Valentino suscepta est mihi disputatio, in uestratem linguam transferatur. Scis non minorem esse in uestrati lingua uarietatem, quam in Italica. Clamabit igitur Cathalonia uniuersa, male uersam esse: quonia multa, suo iudicio, inueniet inculta, barbara, impropria, & a legitima Bibliorum sententia aliena plane. Idem dicet Balearis, idem Ebulius: est enim horum omnium regnorum communis uobiscum sermo & lingua, quanquam sono, prolatione, & oris diductione nonnullis in locis differatis. Nec Valentini ipsi omnes eodem modo loquuntur, alius alia uocabula consecratur, alias phrasest: a quibus si traductio Bibliorum recedat, repudiabitur tanquam barbara ac impropria. Caeteris nationibus idem euenit: ob eamque causam arbitror Scripturam sacram, non posse commodè ac fideliter uernaculis linguis committi, Nec si sublata esset de medio omnis haec linguarum uarietas & difficultas, uertenda esset Diuina scriptura: nullam aliam ob causam, nisi quod infiniti sunt loci sacrarum literarum, quos alia quam Hebraea aut Graeca aut Latina lingua explicari non queat.

De

De hoc genere illud est, Non cognouit eam donec peperit; & In principio erat Verbum: & maior pars historię Euangelicę à D. Ioanne conscriptę: itemq; patefactio, quam Apocalypsim uocant. Id ita esse, non mihi uni, sed grauissimis Theologis, summis uiris, diu multumq; in Theologia summa cura & diligentia uerfatis uiderur: quibus non habere fidem, turpissimum esset. Quibus enim credendum est, nisi his qui periculum ea in re fecerint? Quare si linguarum Hebręę, Gręęę, Latınę tanta est uarietas & difficultas, ut intelligi perfectę nō queant: si, ut aliquid fideliter uertatur, perfecta cognitio utriusq; linguę, & eius unde transfers, & eius in quam trāsferas, requirit: si probatum est nonnullis rationibus & exēplis, uernaculas linguas nō esse perfectę hīs ipsis notas, quibus sunt natiuę: concedamus necesse est, sacros libros in uernaculam linguam nullo modo transferri posse. Sed ô me obliuiosum, qui eius rei fueram oblitus, quam meminisse oportuit. Nōne Scriptura sacra tribus linguis continetur? Ergo huic qui eam uelit in uernaculam linguam transferre, quatuor lingue notę esse debent. Nam uernaculam in his etiam numeramus: alioqui enim nihil transferetur. Quis uerò est qui has quatuor linguas norit? præsertim cum, ut à nobis probatum est, nemo possit eas perfectę noscere? Esset etiam labor

immensus, nec unquam finiendus, si in uernaculam linguam transferri sacre literę debeant. Nam, ut egregie dixit Horatius,

*Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,
Pruna cadunt: ita uerborum uetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modò nata, uigentq̃.*

Et paulò post:

*Multa renascentur, quæ iam cecidère, cadentq̃;
Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus:
Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi.*

Quod ab Horatio de Latina lingua dictum, transferri in omnes alias potest, quæ populo cuius peculiare sint ac propria. Fatebatur enim Cicero tam esse suo tempore Latinam linguam, ab illa qua Romulus & primi Senatores loquebantur, immutatam, ut Leges duodecim tabularum uix à se intelligerentur, propter uocabulorum desuetudinem, & dicendi formam inusitatam, quæ simul cum Reipublicæ statu creuerant, mutataq̃ fuerat, ut ne ab ipsis antiquitatis cõsecratoribus agnoscerentur. Et (ut de notissima tibi lingua testimonium afferam) certè ducentis retrò abhinc annis ita Valentia loquebatur, ut si ex illa memoria uerbū aliquod fando in mediū producas, nihilo magis intelligaris, quàm si uerbum non fecisses. Idem apparet in Castiliæ regno, cuius memoriam rerum gestarum, aut decretorum sanctio numq̃ regalium, ab antiquis monumentis & archi-

archiuis petitam, perpauci hodie intelligunt. Idem etiam Galli agnoscunt & fatentur: quod necesse est euenire ex eo, quia singulis linguis, ut cæteris rebus omnibus suus sit ortus, suus progressus, suus status, sua senectus, & non raro suus interitus. Quæ omnia exemplis ostenderem amplificaremque, nisi existimarem magis esse nota, quam ut probationis indigeant. Ergo si singulis hominum ætatibus, tanta accidit linguarum immutatio, oportet profectò translationes istas in uernaculam linguam tuas etiam immutari, ob eamque rem non intelliguntur nisi denuò transferantur. Mutabuntur igitur sicutque de nouo singulis seculis istæ Bibliorum interpretationes: quod quanti sit laboris, nemo nescit. Si perpetua & sempiterna caducis & perituris rebus antecellunt, scriptura sacra tribus linguis, Hebræa, Græca, Latina, quæ ab interitu se hæcenus uindictarunt, uindictabuntque, quantum multis coniecturis licet intelligere: profectò hoc potissimum nomine debet in Republica Christiana retineri, amari, diligere, nec in alienam linguam conuerti. Quid enim id uertas in uernaculam linguam, cuius usus ad centum annos plus minus futurus sit? Longè præstat, ut quibus literis interpretata est usque in dem cõtineatur scriptura: ut quam nos perrot secula excepimus, eandem ad posteros transmittamus. Longum esset in præsentia er-

rores persequi, quos ingētes & teterrimos scri-
 ptura sacra in uernaculam linguam uersa, non
 suo, sed hominum uitio et culpa peperit. Nam
 ut nihil facilius hominī est quā errare, falli:
 ita frequentissimē accidit, ut praua hominum
 institutione, uel inertia, uel malitia, quæ ad ho-
 minum imbecillum captum adiūcta, ex unius
 loci detorta sententia, uel malē intellecta, uel
 utroq; pestiferas hæreses in rempublicā Chri-
 stianam inuexerint. Quod in una complexio-
 ne euenit, id frequentius in uno uocabulo con-
 tingere solet, quæ uocabula, ut plura sunt,
 quā circuitiones: hinc fit, ut plurium errorū
 occasionem dent, & quidem pluribus. Quod
 malum iam olim longē serpsit, neq; id inter
 idiotas & rudes, sed inter eos etiam, qui se om-
 ni literarum genere exercuerunt. Hoc uide-
 mus Heluidio accidisse, qui constanter affirma-
 bat, Mariam matrem Iesu Christi à partu non
 remansisse uirginem: quem errorē multis re-
 futauit Hieronymus. Heluidius autem his lo-
 cis ex sacra scriptura malē intellectis, sententiā
 suam stabilibat: primū quòd in Euangelicis
 libris scriptum sit, Mariam peperisse filium pri-
 mogenitum: unde sic concludebat, Ergo alios
 post Christum natum Virgo Maria peperit,
 Confirmabat hanc eandem conclusionem ex
 eo quod Matthæi duodecimo Christi fratrum
 & sororum mentio fiat. Quod Heluidio acci-
 dit,

dit, ut per Primogenij & Fratrum et Sororum nomen in hæresem incurrerit, id imperitæ plebi multò citius faciliusq; accidet. Ad eundem ergo modũ quod Ioannis primo capite, Iesus Iosephi filius à Nazarethā dicatur, sumet uul-
 gus hominum occasionem in hunc errorẽ in-
 cidendi, Christo diuinitatẽ ut denegent: quẽ
 parentibus hominibus, aliorum more, progna-
 tum per errorem arbitrabuntur. Aut dicent et-
 tiam repugnantiam in libris sacris inesse, cùm
 ex multis locis, qui accuratissimam requirunt
 conciliationem, tum ex hoc præcipuè, qui om-
 nibus in sacram Scripturam incidentibus oc-
 curret, quòd Christus interdum Iosephi, in-
 terdum Davidis, interdum Dei filius esse dica-
 tur. Colliget igitur per ignorantiam rudis &
 imperitus homo, in sacris literis apertam inue-
 niri repugnantiam; quòd si deinde animũ in-
 duxerit, detrahet omnem sacris literis autori-
 tatem fidemq; easq; commenta esse hominũ
 arbitrabitur. Quid hoc aliud est, quàm religio-
 nem tollere? Apud Ioannem Christus se mino-
 rem patre appellat: Vado, inquit, ad patrẽ qui
 maior me est, qui locus occasionem dabit ho-
 minum uitio cogitandi, in Triade non esse di-
 uinitatis æquabilitatem; qua de re multæ hære-
 ses iam olim extiterunt. Nusquam item non
 apparent sententię & loci illi, unde Manichæus,
 Pelagius, Arius, cæteriq; hæretici rationes pe-
 tebant,

bant quibus suorum somniorum deliramenta confirmarent. Quis dubitet, idiotas tam uiros quam foeminas, ubi in tales locos inciderint, hæreticorum sententiæ uel subscripturos per ignorantiam, uel non reclamatuos per malitiam, uel aliquem scrupulum per animi imbecillitatem habituros? Quod mihi admodum uideatur uerisimile, penè dixerim necessariū, quò præsertim homines literarū studijs ita dediti, ut prouentus multū ex eis acceperint, decepti nō raro sint ab unius loci sententiâ male percepta, aut uocabulo uno prorsus sibi ignoto. Deniq; nullus est ferè locus, nullum uerbum in sacris literis, quin si aliorsum accipias, quàm est positum à diuinis scriptoribus, latissimum præbeat ad hæreses campum. Nihil autem frequentius uideas, quàm rapi in contrarias partes, quicquid in uulgi manus perueniat. Nec est quòd dubites, utrum in hæreses à Bibliorum in uernaculam linguam conuersione, imperitum uulgus incursum sit, an non: quum & multi superiorum temporum memoria errores animo ab ea conceperint, quos præterea cum pariunt, ingentem Christianæ rei publicæ attulerunt calamitatem: & nostra hac tempestate cum multis ex rebus, tum ex hoc ipso colligi potest, quòd duobus ahhinc annis à Decano totoq; Theologorum collegio Louaniensium decretum est atq; sancitum.

Nam

Nam cum literas à Carolo quinto Casare accepissemus (eram enim & ego una) quibus significabat gratissimum sibi futurum, si diligenter examinarem, utrum esset rationi consentaneum, sacras literas in natiuam certae cuiusdam prouinciae, quam honoris causa nominatim non appello, ad eius nationis usum, quae iam erant uersae, retineri nec ne: Eramus aliquot Doctores, eramus aliquot Theologiae candidati, qui à Licentia nomen habent, barbarè Licenciatorum: erant etiam & nonnulli de his, quos militari Gallorum uerbo Bathalarios uocant, quasi strenuos milites, qui fortiter cum pugnant, aut corona, aut muneribus, aut immunitate, aut uacatione dandi esse uideantur. Conueneramus igitur frequentes Theologi, qui ubi multa ultro citroque uerba fecissemus, tandem de communi omnium consilio decretum est, eam nationem interdictam iri debere sacrarum literarum in uernaculam linguam translatione: quod uideremus, id quod res est, decipi eius nationis populum per talem Bibliorum lectionem, quod apertius erat quam ut negari possit. Etenim ab utroque statu & civili & Ecclesiastico eius gentis, cuius causa conuentus habebatur, id ipsum ut fieret, quod nos decreuimus, uehementer flagitabatur: ex quo intelligi poterat, civilem magistratum, cum ex quotidiano hominum sermone, tum ex ministrorum

Eccle-

Ecclesiasticorum relatu intelligere, hæreses,
 quæ multæ breui temporis spacio apud se ortæ
 fuerant, ab solis Biblijs extitisse. Quod tamen li-
 dum à magistratu significabatur, probabilita-
 tis multum habere uideretur: attamen, quoniã
 id ipsum sacerdotes approbabant & petebant,
 uisum est nobis non modò uerisimile, sed etiã
 necessarium. Videbantur enim ij, quod uerbo
 non auderent dicere, id quasi per nutum, dum
 magistratui assentiebantur, apertissimè loqui,
 se, ex singulorum secretæ confessionis patefa-
 ctione certò scire, hæreses suę nationis à Biblio-
 rum uernacula traductione dimanasse. Quis
 enim melius ista quàm sacerdotes norint?
 Quid opus est uerbis: cum hoc ita esse apertis-
 simè indicarint Valdenses, Pauperes de Lug-
 duno quos uocant, Albigenes, Turelupini,
 qui inde occasione sumpta, in multos errores
 lapsi, plurimos in eosdem induxerunt. Quare
 dubitare nemo potest, quin ex uernacula Bi-
 bliorum traductione ingentes in Republica
 errores procreentur. Ventum est ad grauissi-
 mum omnium argumentorum locum. Cario-
 lane: non est quò fugias, hic te teneo: quando
 quidem concedis, ex sacrorum librorũ lectio-
 ne uernacula, hæreses tum esse ortas, tum etiã
 posse oriri. Ecclesiastæ & Pontificum duo
 esse officia & munera, non ignoras: alterum,
 fideliter gubernare sibi commissam Ecclesiam
 mini-

ministerio uerbi diuini: alterum, arcere falsam
 doctrinam & scandala (ut uulgo dicuntur) quæ
 statu Rempub. aut loco dimouere possint.
 Hoc uidetur Paulus Actorū uigesimo, Ephe-
 siana Ecclesiæ seniores docuisse, quum disces-
 surus Hierosolymam, sic eos alloqueretur: Ca-
 uete & uobis, & toti ouili, cui uos sanctus Spi-
 ritus proposuit custodes, ut Dei pascatis Eccle-
 siam, quā ipse suo sanguine comparauit. Quid
 adhæc Cæriolatiæ: nonne hæreses in scanda-
 lis, & ut Latine loquamur, in offensionibus nu-
 merantur? Quare syllogismo, omnium proba-
 tionum certissima æquissimaq; regula, tecum
 disputationem ita concludam: Quicquid fra-
 tris cōscientiam aut Rempub. ex mala doctri-
 na & ex scandalo lædit aut perturbat, à Pontifi-
 cibus prohibendum est: Omnis traductio in
 uernaculam linguam Bibliorum ex mala do-
 ctrina per scandalum fratris conscientiam læ-
 dit, & Remp. perturbat, ut à nobis probatum
 est: Ergo omnis traductio Bibliorum in uerna-
 culam linguam à Pontificibus prohiberi de-
 bet. Complexio est uera, inferturq; ex propo-
 sitione & assumptione ueris, apteq; collocatis:
 ergo nihil est quòd de syllogismo dubites. Fac-
 si uidetur omnia argumenta, præter hunc syl-
 logismum esse uana, esse futilia, esse nullius mo-
 menti: hac una certè postrema probatione ad-
 duci deberes, sacram Scripturam non esse in
 uulgi

uulgi linguas exprimendam. Nec uelim ita se-
 uere hoc à me esse dictum, ut habeam religio-
 ni, si diuinæ literæ uernacula loquantur lin-
 gua. Nam si ab experientia, consuetudine,
 sermone quotidiano, atq; ex secreta hominum
 confessione constaret, prouinciã aliquã po-
 pulumue tam solidam, ueram, constantemq;
 habere de Deo rebusq; diuinis opinionem,
 ut nec errarent, nec errare uelint, tametsi pos-
 sint: his ego in natiuum sermonem interpre-
 tata Biblia non negarim. Quod dum face-
 rem, ab officio boni Pontificis non recederẽ,
 quoniam ubi nulla est falsa doctrina, neq; scan-
 dalum, ibi non solum non est peccatum, si Bi-
 blia permittantur: sed etiã gratissimũ arbitro
 munus, & penè dixerim sacrificiũ Deo offerri,
 si translata sacrae literæ ad promiscuae multitu-
 dinis utilitatẽ concedantur. Quæ sententiã, ni-
 si me animus fallit, ita uera est, ut ab omnibus
 approbari debeat maximè. Verùm hac nostra
 tempestate propter tot hæreses, tamq; pernicio-
 sas Ecclesiæ factiones, quibus misere perturba-
 tur, scinditur, & in partes uarias hominum ne-
 quissimorum turpissimorumq; nefario scelere
 trahitur, & quasi laniatur, non censeo, imò con-
 tendo, uerũ in uernaculam orationem Biblia
 non debere. Homines enim simplices, ignari
 rerum cùm ex aliorũ, tum ex D. Pauli quam-
 plurimis locis sumerent occasionẽ nostrorum
 tent-

temporū opinionibus assentiendi, in his quæ de fide, de gratia, de delectu ciborum, de uestitu, & de libertate Christiana disputant. Quod ita uerum est, ut uerius nihil esse possit. Mihi certè satius uidetur, ut quoniam iam olim Latinis literis Scriptura sacra continetur, eadem retineatur: nec uelimus tot exemplaria tamq̃ diuersa habere in Ecclesia. Nam ut Deus unus est, ita par uidetur, ut eius uoluntas una tantum lingua, non pluribus comprehensa circumferatur. Quid, quòd humana societas separari dissoluiq̃ uideatur, si tot linguis Biblia loquantur? Nam quemadmodum uniuersus terrarum orbis qui eodem sermone atque oratione utebatur, quum in terra Sannara urbem turrimq̃ ex lateribus & bitumine ædificaret, ubi orta esset (Deo sic uolente) sermonum uarietas tanta, ut alij aliorum orationem non intelligerent, dissipati sunt in uarias terræ oras ac regiones, urbis & turris omiſsa constructione, ex quo Babylon nomen inuenit: quia ibi permiscuit atq̃ confudit Deus omnium mortalium linguas, & indidem eos in omnes terrarum regiones dissecit. Quod periculum etiam Theologiæ, nisi traductio uaria prohibeatur, certè imminet. Postremo legum ea est consuetudo, ut in certa quædam uerba iudicia fiant, à quibus si recedatur, iudicium rescinditur: quo nomine non possum

non

non detestari tuam Bibliorum translationem; quoniam quæ certa esse deberet singularium rerum in diuinis literis forma, eam in uertendo non solum negligis, sed etiam confundis ac destruis. Quod quam turpe sit, ex eo colliges, quod multi & graues uiri hoc solum nomine in philosophiæ studijs explicandis reprehensi sunt, quod usitata philosophandi uocabula neglexerint, ut noua consecrarentur. Quod in prophanis disciplinis uitio datur, nonne maxime in sacris literis fuerit reprehendendum? Sapientissimè, ut alia omnia, Sorbona Parisiensis Raimundi Lullij Theologica opera hac potissimum de causa condemnauit, quod ab antiquis uocabulis recederet, & noua ac inusitata fingeret. Quid quæris? Deus ipse clara uoce præcepit ad hunc modum: Ne quid additote ad id quod ego uobis præcipio, neue quicquam de eo detrahitote. quid uerò istæ tuæ in uernaculam linguam interpretationes, nonne cum præcepto Dei pugnant? Nonne interpretis est, ut fideliter uertat, quæ pluribus in una lingua fuerant explicata, in pauciora in aliam interdum contrahere? Ergo in uertendo contra Dei decretum pugnatur. Nonne interpretis est, ut fideliter uertat, quæ in una lingua paucissimis continentur, ea dum in aliam linguam exprimit, uel longo anfractu, uel multo pluribus uerbis interpretari? Ergo in uertendo contra Dei decretum

eretur pugnatur. Nonne iussit Deus, ut ne
 iota unum de lege sua immutaretur? Sed quid
 nos facimus, dum eam in sermonem cuiusque
 populi natiuum uertimus? Deus bone, ut Deum
 negligimus, ut eius precepta contempnimus?
 Non unum iota immutamus, sed omnes lite-
 rarum formas, omnia uocabula, omnes uer-
 sus, omnes paginas: a capite ad calcem, nullum
 est de Dei opt. max. uerbis. Alia sunt notae,
 alia nomina, alia dicendi formae: perit denique
 uetus lex, & nos quasi nouam aliam sancimus?
 Itane uero, Principis in Repub. uiri sententiae
 nemo audet reclamare: & nos Dei sententiae
 tam nefarie aduersabimur? Regum decreta
 renocere aut contempnere non audemus, & Dei
 sanctiones repudiabimus? Capitale est, contra
 regis auctoritatem uel quicquam hiscere: quan-
 to capitalius, contra Dei maiestatem quicquam
 facere? Quare te, Cariolane, pro nostra ami-
 citia rogo, pro Theologiae professione adhor-
 tor, pro aetate qua te excedo, admonedo, & per
 Deum obtestor, ut de tua ista sententia desistas:
 & in meam non pedibus modo, sed toto cor-
 pore eas. Quae cum ille dixisset: Exequutus
 sum, inquit, duas diuisionis meae partes, non
 quam uolui, sed quam potui per tempus,
 diligenter. Nullum enim spacium
 habui, neque cogitandi, neque
 iudicandi,

FRIDERICI FVRRI
CAERIOLANI
VALENTINI

BONONIA, siue de Libris sacris in uer-
naculam linguam conuertendis,
Liber secundus:

Ad FRANCISCVM BOVADIL-
LIVM Mendozium, Cardinalem Bur-
gensem.



VIX dum finem fecerat Bononia,
quum omnes, quicumq; aderant,
in me unum se magna cum atten-
tione conuerterunt, quasi me ut
inciperem, admonerent, & se ad
audiendum paratos significarent. Tum ego:
Hoc, inquam, saepenumero magnis ingenijs
usu euenit, ut quare quid non dicatur, quam
quare quid dicendum sit, citius uideant. forsiti-
tan quod suo acumine sic ad uiuū lingua re-
secant, ut plura latere in abdito rerum, quæ na-
tura cōstant recessu perspiciant, quam in fron-
te primoq; aditu promittantur. Itaq; his, qui ta-
li sunt ingenio præditi, hoc accidit, ut quanto
sint plus per rerum naturam peruagati, quan-
toq; altius ad eam penetrauerint, eò profun-
dior ad ueritatem locus deprimendus esse ui-
deatur. Propterea dixit, ut mea fert opinio,
Democritus, In profundo demersam esse ueri-
tatem,

tatem; & Arcefilas, sic omnia latere in occulto censuit, ut nihil cerni, nihil cognosci, nihil intelligi, nihil percipi, nihil sciri posse affirmaret. Hinc profecta est illa Socratis contra omnia disserendi ratio, nihil affirmandi, omnia dubitandi. Academiae preceptum hinc etiam extitit, prohibentis de rebus fieri assertionem, approbationemque. His olim tot tantisque philosophis contra omnia, & pro omnibus disputare fortassis licuit, propterea quod in tanta ingenij acrimonia, quanta fuisse illi perhibentur, certi nihil habebant, quod profiterentur, ac affirmarent. Ego autem qui nec rerum usum quicquam ualeo, & ingenio parum possum, si quid mihi uideatur potius, quam quid non uideatur, ostendero, mirum nemini uideri debet. Sunt enim in me omnia minima, quae in illis summa fuerunt: atque ita me uel purgabo, uel defendam. Quanquam quod me excusent causa nulla est, et quamobrem Socratem, cum uniuersa ueteri Academia culpam ac damnem, multam ac graues causas reperiuntur. Sequor enim eam explicandarum rerum usum rationemque, quae sapientissimo cuique probari debet maxime: & eam illi tenuerunt, quae quum ad breue tempus uigisset, in Graecia, ubi fuerat nata & alta, omni iacuit deserta patrocinio. Nec mirum: hominum est enim aut otio abutentium, aut procacium, omnia in quaestione uertere, contra omnium sententias & pro om-

nibus dicere, nihil affirmare. Leguleium ista decent, aut loquacem & petulantem de foro rabulam, non artium disciplinarumque doctorem, quæ ad uitæ communis utilitatem instituntur. Quod enim tempus, quod otium, qui liberi suffecerint ad artium disciplinas percipiendas, si ad istum modum explicentur? Quis, rogo, modus in eo esse potest, quod cum omnium libidini sit expositum, uertas ac inuertas, probes & improbes, quando & quoties uoles? Literæ item artesque omnes ad humanam referuntur societatem uel augendam, uel conseruandam: cui non uideo, quanam in re ex literis instructi emolumento esse possimus, si certi nihil habeamus, quod sequamur. Si enim pro certo nihil habendum, nihilque affirmandum est, rogatus sententiam de parricidio, de adulterio, de patriæ uiolatione, de uirtute & uicijs, nihil est ex Academia præscripto quod respondeam, ut fugiam temeritatem: fit, ut leges & iura, forum, senatusconsulta, prudentum consilia, artes, opificia, & religio quidem ipsa frustra, ac potius temerè instituta esse uideantur. Videntur & homines priuari omni sensu, Socratica ratione & Academica illa: ita ut nec dulce, ausim affirmare esse dulce: nec falsas uoculas sonum esse suauem, nec niuē albam potius quàm nigram esse. Quod dum mecum considero, in eam adducor opinionem, ut credā, Socraticam

cratem (bona eius uenia dixerim, ac uerò etiã Apollinis oraculi, quo omniũ sapientissimus fuit renunciatus) bardum & stolidũ fuisse, qua ignominia fuerat uiuus à Zophyro Physio- gnomone reprehensus, notatusq;. Talia enim nisi stolidus affirmaret nemo: arbitror, quòd qui hebeti sunt, aut tardo ingenio, cum le ad ue ritatẽ inquirendã cõtulerunt, tãta ex rerũ mul- ticiplici uarietate, quas nõ intelligunt, admira- tione detinentur, ut attonitorũ more, ore aper- to, oculis defixis, in stuporẽ conuertantur. Ta- lium nanq; hominũ ingenij uis, si qua est, quan- tula cunq; est, nõ aliter ad clarã ueritatis lucem retundi solet, quã imbecilli oculi, dũ aduer- sum solem intuentur, præstringuntur. Contrã, qui excellẽti sunt ingenio nati, & iudicio præ- stant, perspicacissimẽ in omnes partes oculos circumferunt, colores perfectẽ distinguunt: im- pedimenta, si qua occurrũt, facilẽ amouent: dif- ficultates superant, dubia incertaq; distinguũt, falsa à ueris discernũt: admirantur interdũ, nec tamen præ rerũ admiratione quantũ uis incre- dibili, stupent: causas rerũ uident, earũ effecta non ignorãt: sic deniq; in rerũ cognitione uer- santur, ut ueritatem ipsam quasi lucidissimum uehementissimumq; solem, instar aquilæ, aper- tis infixisq; in eam oculis intueantur. Latissi- mẽ hic patet locus: nec finis usquam ferẽ inue- niretur, si uelim aliquantulũ per hunc campũ

excurreret: sed ad meum institutum satis est col-
 ligi ex paucis his, quanto opere et ueteres illi phi-
 losophi, qui nihil planè uerū reperiri posse ar-
 bitrarentur, errauerint: & quanto ij melius &
 ad uitæ rationes utilius faciant, qui certas uolūt
 esse de unoquoq; rerū genere opiniones, non
 incertas & uagas. Quocirca & Socratem &
 Academiam ueterem cūm procacitatis garru-
 læ, tum tarditatis ac stuporis conuictam repu-
 diemus, et eam sequamur studiorum artiumq;
 doctrinam, quæ certissimè ac uerissimè suā in
 alterutram partē uel negando, uel affirmando,
 sententiam pronunciat. Neq; ij sumus, quibus
 nihil falsum esse uideatur: sed ij, qui ueritatem
 ipsam, quantumuis cum falsitate coniunctam
 ac implicatam, ocio tamen, meditatione, cura,
 arte, diligentia, discerni & posse, & debere cre-
 damus: id enim & uitæ communis societas re-
 quirat, ut debeamus: & labor noster, diligensq;
 differendi ratio planum facit atque apertum,
 ut possimus. Quid enim aliud præstat inue-
 niendorum argumentorū altera ac prima dia-
 lecticæ pars, nisi ut perspectis atq; cognitis re-
 rum earum ad quas cognoscendas animū ap-
 plicamus, tū causis, tum effectis, tū adiunctis,
 tum rebus subiectis, tum dissentaneis, tū con-
 sentaneis, ueritatē in eis latentē prorsusq; abs-
 conditam, uel diuidendo distinguamus, uel definien-
 do aperiamus: Quid altera dialecticæ pars, que
 de

de apta argumenti collocatione cū quaestione
 praecepta tradit, an non & hæc constantissimā
 firmissimamq; ostendit ueritatis certissimè a-
 gnoscendæ regulam? Quæ igitur utilitas hu-
 ius artis, si nihil planè certum, aut uerum affir-
 mare queas? Quid hominī ad instituenda ar-
 tium studia inutilius esse potest quàm secū sta-
 tuere, nihil certi in ea, quā aggrediat, arte posse
 omnino affirmari? quid turpius, quàm quod
 pro uero habere non possis, ad id curam, cogi-
 tationemq; adiungere? Equidem ineptissimū
 semper duxi, ea philosophandi uia insistere,
 qua nihil habeas certi, quod sequaris: quod cū
 in alijs artium disciplinis turpe semper duxi, in
 Theologia autem longè arbitror esse turpissi-
 mum. Nam cohibere de rebus assertionem,
 quod Academici ueteres faciebant, fortasse
 philosophis his, qui ex obseruatione erū præ-
 cepta artium colligebant, licuit: utpote qui ni-
 hil haberent, præter naturam ducem, quod se-
 querentur. Nobis autem quibus uiam præit
 Deus, qui de singulis nos uoce sua admonet,
 qui optimus est & sapientissimus doctorū: no-
 bis inquam, in tanta luce, in tanta euidentiā, ni-
 hil pro certo audere affirmare, turpissimū est,
 atq; adeò uiciū detestandū maximè. Tardi est
 enim hominis ac hebetis, aut segnīs, aut impij,
 nihil in Theologia audere affirmare, cum in ea
 nos q̄ fieri possit certissimè de sententia sua cō-

monefaciat Deus. In tali enim & doctore, & doctrina nihil uerū habere, quod affirmes, obtuli est ingenij: quoniā certa aut pro incertis habes, aut non intelligis. inertis est item: quia uel non attigis philosophiā diuinā, uel oscitanter, & quasi per transennā aspicias: quę deberet à te diligenter uersari, ac intelligi. Quòd si quis ea quę à Deo nobis aperiūtur, ut sunt certa, talia esse intelligat, nec pro certis ea ausit affirmare, hominis est de Deo diffidentis, nec fidē ei habentis: ob eamq; rem irreligiosi ac impij macula notabitur. Quare ualeat Socrates cū uniuersa Academia. cedat huic meę rationi ac modo tū docendi, tū discendi: satius multo est cūm in ceteris disciplinis omnibus, tum in Theologia præcipuē, Stoicū quàm Academicū agere. Hęc igitur nos uiam in tibi respondendo Bononiā tenebimus, ut quicquid nobis certum ex certa Dialecticę lege, ac diuina potissimū uoluntate uidebitur, id nō timidē & dubitanter, sed audacter ac certō proponamus, ac uerō etiam pugnantissimē defendamus. Hęc autē tam multis uerbis à me dicta sunt, ppter quorundā hominum tarditatē, qui uehementer solēt admirari, & non rarō habent offensionē, si quisquā reperiat, qui quod sibi uideat, id ausit in medium afferre: quasi nefas sit, erutā ex sacris libris ueritatem, ab alio quàm ab uniuerso Christianorum confessu, in medio spectandā proponere.

Ut enim non possum non eorum temeritatem
 accusare, qui quod suo tantum humanoq; iu-
 dicio metiantur, id pro certò atq; adeò pro di-
 uino uenditant: ita eorū industriam maximo-
 pere laudo, atq; prudentiam, qui sua & huma-
 na ratione diffusi, ad Deum omnia referant: &
 quicquid ad eius legem quadret, id pro uero ha-
 beāt, nec illud profiteri ac affirmare erubescāt.
 Itaq; quicquid à me aduersus tuam orationē,
 Bononia, disputabitur, id si à me proficisceret,
 ferreus sim, si uel hiscere auderem: sed quoniā
 innitetur testimonio et exemplo Vatum, Apo-
 stolorum, sanctissimorū patrum, atq; adeò ipsi-
 us met Dei exemplo, propterea audacius lo-
 quar: nec meum id iudicium sententiāue dicē-
 da est, sed eius, cuius autoritate confirmatur.
 Ego enim testis sum: et sententiā, quam aperiā,
 non mea est, sed eius, cui tribuo testimonium.
 Homo tamen sum, qui tamen si in toto senten-
 tiæ genere non fallar, in parte decipi possum:
 ideoq; si quid hinc erraro, id ego pro non dicto
 uelim, nec ecclesię iudicium subterfugiam un-
 quā: imò huic omnia mea siue dicta, siue facta,
 siue scripta relinquo examinanda, in eius sen-
 tentia facilimè conquiescā. Sed de ijs satis, ad re-
 spondendū accedamus. Quo quidē loco diui-
 num mihi auxiliū implorandū est, sine cuius o-
 pe nihil rectè suscipi, nihil perfectè absolui po-
 test. Te igit, ut Statius in Synephebis inquit,

Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atq; imploro Deum,
 ut nos in hac disputatione à uero aberrare
 non sinas: sed tenebras à nostris mentibus tuo
 lumine deicias, faciasq; ut omni depolita con-
 tentione, pertinaciâq; & studio uincendi, solâ
 ueritatē & consecremur et assequamur. Nūc
 quoniam debitas instituto nostro supplicatio-
 nes fecimus, dicere incipiam. Sed ô me impru-
 dentem, qui nec temporis habeā, nec auditorū
 rationem. Temporis enim satis (instat nanque
 quarta post meridiem hora, & bruma est) non
 habebimus, & uos omnes defessi estis, tu Bo-
 nonia loquendo, ceteri audiendo. Quare si ui-
 debitur, in aliud hanc disputationem tempus
 differamus. Tum Bononia: Nec fessus sum, in-
 quit, nec, si sim, aliam à defatigatione quæram
 oblectationem, quā quæ ex tua unius orati-
 one capiatur. Etenim in ea tanquam in amce-
 nissimo diuersorio placidē conquiescam. De
 tempore iubeo te esse securum: nam quantum
 lucis sol sua absentia (si tam longē modò dicen-
 do progrediaris) adimet, tantundē nostræ ac-
 centiæ fascēs nobis reddent: faciam ne diem ad
 lucem requiras. Itaq; quod ad me attinet, nula
 las uelim fieri moras, multo minus procrastina-
 tiones: incipe quando uoles, & ut iam uelis,
 te uehementer rogo oroq; nisi id quo minus
 possis, aut tua sunt nobis negotia impedimen-
 to, aut ceteri quicunq; adiunt, suorum studio-
 rum ac

rum ac negotiorum curis distracti, finem hodiernæ disputationis imponi uelint, redituri cras ubi negocijs satisfecerint. Tunc omnes qui aderant, una uocē: Nobis, inquit, nulla sunt negocia, ociosi sumus, & his de rebus audituri sumus, quæ & sunt etiam summis negocijs anteponendæ. Atq; ego: Ordinar, inquam, quoniam uobis ita uidetur, & efficiam, ut quàm fieri breuissimè possit, tota disputatio finiatur. In quo explicando ita me gerā, ut nihil mihi extra id quod à Bononia propositum est, dicendum putē. Sic enim & quæstioni, uobisq; omnibus satisficiam, & quæ res agent, altius memoriæ insidebūt. Itaq; quas tu duas fecisti, Bononia, disputationis tuę partes, easdem responsio mea habebit, nec ultra progredietur: te præeuntem sequar, et usdem quasi uestigijs insistiā. Quod antequam aggrediar, tum illud te admotheo, ut quoniam tu perpetua oratione per me usus es, sic me continenter loqui sinas, ut nulla interrogatione oratio mea interrumpatur: tum mihi, quid de te ipso sentiam, paucis explicandum est. De multorū sermone audiij, antequā mihi tecum familiaritas intercederet, te uirum esse acrem, operosum, diligentem, & tanta eruditione præditum, quantam admirari multi, assequi perpauca possent. Ego, quoniam à familiaribus tuis, qui te singulariter diligunt, talia audiebam, arbitrabar nonnihil in eo amicitie largius

largius tribui, & ea quæ in te essent splendida, fieri per benevolentiam splendidiora. Sed ex quo in tuam me recepisti amicitiam, multo plura ex te ego, quam alij retulissent. De quibus quoniam aliàs & plura se & maiora dabit dicendi facultas, nunc tamen illud iudico, de re implicata & difficilia te dictum esse acutè, ut ab homine Siculo: grauius, ut à theologo: contentiosè et fortiter, ut à dialectico. Agnosco in te pristinum illum Siciliae genium, qui suam insulam in altiori fama ingeniorum posuit, quam quò potuerit tota Græcia, maximis laboribus, summa contentione peruenire. Declarat id statua illa Gorgiæ Leontini honorificentissima, quæ quum alijs ex ære, huic uni Siculo, propter admirabiles eius ingenij dotes, aurea erecta est. de hoc satis, Tua me disputatio recreauit, & quò ordine procedebat, & quò sententijs pugnat, & quò ornamentis uerborum conspicua, non illota & deformis apparebat: quales esse solent omnes disputationes Sententiariorum doctorum, ex quorum schola tu nobis theologus extitisti. Aquinatam enim, quem sui gregales caput & principem Ligubardicæ scholæ faciunt, quum lego, excellentiam in eo quandam ingenij uideo: ordinem tamen rerum confusum & perturbatum inuenio, et uerborum foetidissimas sordes. Illius igitur acrimoniam tu in disputando retines, uiam tamen & rationem rerum tra-

rum tractandarum, atq; etiam ornatum ab humanioribus disciplinis mutuaris: ex quo fit, ut rem acutè perspicias, ut ille: tractes autem nō ut ille, obscure, perturbatè, sordidè, spurcè: sed apertè, distinctè, grauitè, politè, ornatè. Sed quod in illo mihi legendo sæpe usuuenit, idem modò quum aduersus tū me disputares, accidit, ut grauitè molestèq; ferrem, tam excellens ingenium (quod inter nos liceat) in tam leues futilesq; sententias incidisse. Quis enim æquo animo ferat, te talem uirum, tam perspicacē, in sole ipso, quod aiunt, caligare? Laborasti tu ad sudorem, ut causam aliquam inuenires, quam obrem terti sacros libros in uulgi linguam merito posse putares: causam nullam de sexcentis & eò amplius, quæ sunt, tu nullam inuenisti. Vbi est tua illa dialectica, exquisita & admirabilis? cur non pulsasti omnes locos? & quæ inuenisti in eis argumenta, cur non ad syllogismi certissimam regulam examinasti? Ne dubita, aliquid pro me inuenisses, si te ita gessisses. Causam nullam tu inuenis? at ego tibi, dum tibi respondebo, quamplurimas, maximas, grauissimasq; ostendam. Causas me summa cum contentione rogas? en respice ad me. Venit ne tibi in tam longa disputatione religionis nomē in mentem? An non decet omnes Christianos esse religiosos? decet: quoniam religio, est optimus, sanctissimus, piissimusq; cultus Dei: quē pura,

pura, et incorrupta mente, et uoce ueneramur.
 Ergo debēt omnes Christiani esse religiosi, ne-
 mo negat. Quid: religionis nomē frustra & te-
 merè diuino cultui datum esse arbitraris: mini-
 me. Imitemur igitur hīc sapientes Stoicos, qui
 quare suum quæq; res nomen sortiatur, inquit-
 runt. Quæ est ergo religionis notatio: Religio-
 si, inquit Cicero, dicti sunt ex relegendo, ut ele-
 gantes ab eligendo, qui omnia quæ ad deorū
 cultum pertinerent, diligenter relegerēt. Quid
 ego audio: non, legerent, inquit: sed relegerēt:
 nec relegerent modò, sed diligēter relegerent.
 Quid nos: eos ne putabimus religiosos qui tā-
 tum abest ut diligenter relegant, ut nec relegāt,
 ut nec legant, imò nec literam eorum quæ ad
 cultum diuinum spectant, legant: Mentitur er-
 go quicumq; se, cum nullos libros ad diuinum
 cultum pertinentes legerit, ausit tamen religio-
 sum profiteri. Solum enim titulum nobis uin-
 dicamus, atq; eo gloriamur. cuius expertes re-
 ipsa sumus. Qui enim nihil de diuinis libris le-
 git, is, ut ex uī nominis apparet, nec religiosus
 est, nec se pro religioso potest gerere. Decet au-
 tem omnes esse religiosos: id quonā pacto al-
 sequemur, nisi libros habeamus in eam linguā
 uersos, quæ omnibus communis sit, quæ sine
 dubio uernacula cuiusq; nationis fuerit, quam
 ex æquo omnes intelligimus & pueri, et senes,
 & mares, & foeminae, et ingenui, et serui: Qua-
 re debet

re debet diuina scriptura in uulgi linguam traduci, si religiosi esse uolumus. Neq; illa uideatur parua causa, quæ sequitur, de Biblijs in uulgi linguam conuertendis ex communi omnium ferè Christianorum opinione de sumpta. Nam cum iam diu hæc agitari cœpta sit opinio, fuerintq; multi, qui uerti debere negarent, tacitus tamen Christianorum consensus approbavit, uerti debere hoc ipso, quòd sine discrimine ferè ubiq; iam uerli, ad promiscuam plebis utilitatē libri & imprimantur, & uendantur, & legant. Habet enim Italia prouidens iam in suam linguam uersos libros sacros, Gallia pia etiam in suā, Germania hæc inferior in qua nos sumus, etiam in suam, de Germania superiori et Britannia, & Dania, & Pannonia, & Polonia nihil dico, quoniam & pueri sciunt, multis abhinc retrò annis in suas quancq; linguas scripturam sacram cōuertisse. Quid, Hispania quæ Christianissima uult haberi, non ne & iam olim ab autorum memoria, ad suam utilitatē habuit diuinos libros, suis literis loquentes, & hodie etiā habet. Fuit centū et triginta ab hinc annis, plus minus, uersa sacra scriptura in Valentinam linguam: et quadraginta aut circiter abhinc annis iterum iisdem literis elegantius multo impressa: quam populo interdixit Inquisitorū, quos uocant, societas & ordo hoc nomine, quòd Iudæis aliquot, qui de centum & uiginti millibus

ex Hi-

ex Hispania exactorum supererant, dicerent,
 se intelligere, ipsos, ritus, caerimonias, et sacrifi-
 candi genus ab ipsis Biblijs desumere. Itaq; ita
 ueritum esse am legi, ut ijs qui originem nullā
 à Iudæis haberent, legi liceret, alijs non item.
 Idem in uniuersa Hispania cautum est: habe-
 bant enim ferè reliquæ Hispaniæ nationes e-
 tiam Biblia, in suam quæq; linguam uersa. Ut
 cunq; tamen se res habeat, semper habitū sunt li-
 bri sacri in uulgarem linguam uersi, & in Hi-
 spania, & Italia, & Gallia, & Germania, &
 Britannia, & uniuersa Europa: idq; cum ipsi
 met pontifices & certò scirent, & suis oculis in-
 spicerent. Quæ opinio, id est, eā quæ affirmat
 libros sacros uerti oportere, tantum abest ut
 successu temporis euanuerit, ut quotidie ue-
 hementius & certius multo confirmetur. In-
 dies enim uideas, & plures uernaculos factos
 de latinis libros imprimi, & uendi, & legi, &
 à pluribus etiam expeti, quàm fuerint & pa-
 trum & nostra memoria unquam. Tales libri
 imprimuntur passim in Italia, in Gallia, in Ger-
 mania hac inferiori: de reliquis nihil dico, quo-
 niam apertius est, quàm ut dici debeat. Quæ
 quidem opinio, si uera non esset, non tam sta-
 bilis permaneret, nec corroboraretur diutur-
 nitate temporis, nec cum tot seculis, ætatibusq;
 hominum inueterare potuisset. Etenim opini-
 ones omnes, quæ multis nos annis præcesse-
 runt,

runt, videmus temporis diuturnitate euānuisse. Quis non Manichæorum, Pelagianorum, Arianorum, cæterorum que hæreticorum impias opiniones excretur? Quot commenta, & falsæ opiniones deletæ sunt temporis successione ac diuturnitate, quæ primò magnam authoritatem habuerunt? Nec mirum: sunt enim ueræ opiniones à Deo, falsæ autem per uanitatem hominum excogitatæ: atque hinc fit, ut tempore hæc deleantur, illæ in hominū mentibus infideant penitùs & confirmentur. Præclare Gamaliel in concilio Iudæorum Hierosolymis: Si ab hominibus, inquit, hoc est consilium atque opus, abolebitur: sin à Deo est, id abolere non potestis. Itaque cum uideamus, hanc de conuertendis libris sacris in uulgi linguas opinionem quotidie contra multorum hominum conatus ac uires augeri, & confirmari, hanc à Deo proficisci necesse est fateamur. Sed hæc causæ, quamobrem uertenda Biblia in uulgi linguam putem, fortassis te minus moueant: & tamen graues sint, grauiores tu præterea requiras. Ita ne uerò? non satis ista tibi faciunt, quæ contra te paucis disputauimus? non. En accipe grauißimas causas. Exemplorum uim & authoritatem non ignoras: sunt enim tanti roboris & uirium, ut quod exemplo quis grauißimo fecerit, id uulgo merito & iure fieri putent. Ab exemplorum au-

h thoritate

thoritate orta est Ordinum uarietas, ut alij ad Hieronymi, alij ad Augustini, quidam ad Benedicti regulam uitam dirigant, & instituant: usque eò ualet exemplum. Quid ego? quid si ostendam Dei exemplo, quid si conuincam Dei, supra quàm dici possit grauissimo exemplo, biblia in uulgi linguam transcribi oportere? Quid igitur sapientissimus Deus, num populo Israelitico leges per sequestrum Mosem dedit, nouam aliquam linguam finxit, aut excogitauit? aut peregrina aliqua lingua locutus est, quam populus non intelligeret? minimè, minimè. Num recondita quadam lingua, aut minus uulgari alioquin leges sanxit? minimè, minimè. Num ea lingua tabulas scripsit, quam solus Moses, Aharon, Sacerdotes, Iudices, aut Duces intelligerent, & populus non item? minimè, minimè: sed proprio digito incidit in tabulas lapideas, ea lingua leges, quæ erat notissima uniuerso populo Israelitico, quæ erat natura uniuerso populo Israelitico, quæ erat familiaris uniuerso populo Israelitico, quæ erat aperta & facilis æquè populo uniuerso Israelitico, quæ erat communis Mosi cum cæteris omnibus Israeliticis, quæ erat communis Aharoni cum omnibus reliquis Israeliticis, quæ erat communis omnium omnis ordinis, ætatis, sexus, hominum: tulit denique leges eo sermone, quem senes intelligebant, tulit legem eo ser.

eo sermone, quem pueri intelligebant: tulit legem eo sermone, quem foeminae aequè ac uiri intelligebant: tulit legem eo sermone, quem duces & milites aequè intelligebant, sciebant, loquebantur, ab incunabulis, & una cum lacte luxerant. Quid uis amplius dicam: non ne tibi hoc Dei summi, maximi, sapientissimi exemplum satis magnum esse uidetur, ad conuincendum sacram scripturam in uulgi linguam uerti oportere? Aut enim Deus bene tum fecit, quum uernacula lingua legem populo suo daret, aut secus: male non potuit facere, restat ut bene eum fecisse dicamus. Bene: nemo dubitat. O rem meis conatibus accommodam. ô exemplum admirabile. Sed ô nos, Bononia, miseros, si ista non intelligamus. Hominum exempla & authoritas, tantum inter homines ualet, ualuitq; semper, ut multi D. Francisci exemplo canabeis, aut ex corio perforato calceis induantur: ut multi D. Dominici exemplo, quibusdam diebus se esu carniùm, præter cæterorum Christianorum usum ac consuetudinem priuēt: ut alij aliorum exemplo, quos habent charos & sanctos, aut certo genere uestiendi, aut edendi, aut bibendi, aut accubandi utantur: quod hoc sibi potissimum nomine faciendum censeat, quòd hunc aut alium habuerint suæ professionis authorem. Hi igitur homines de suis regulis, et toto uitæ genere inter-

rogati, sic solent respondere: Sic sanxit Pater
 noster: Sic solebat facere Pater noster: Sic hoc
 petijt ab summo Pontifice Pater noster: Est autem
 Pater noster, suus cuique regulæ & ordinis
 author. O Deus bone, ubi nam gentium sumus?
 D. Basilij, D. Augustini, D. Francisci,
 D. Dominici (ut raceam interim quorundam
 recentium nomina) diuorum inquam
 quorundam exemplo, adducimur ut credamus,
 quicquid illi fecerint (quod non reprehendo)
 nobis facere licere: imò uerò non raro ducimur
 in eam sententiam, ut quod illi fecerint nos
 interdum negligere summum facinus esse
 credamus: & nos non solum Deum auctorem
 cum rerum omnium, tum tradendæ sacræ
 Scripturæ lingua cuique nationi uernacula,
 non imitabimur: sed etiam eum uelle imitari
 de nonnullorum sententiâ nephas esse dubitemus.
 Imitamur sanctos, cur non potius imitabimur
 Deum? non deterrentur homines ab imitatione
 sanctorum, cur à sanctissimi Dei imitatione
 deterrebuntur? non errant qui sanctissimos
 uiros præeuntes sequuntur: & errabimus nos,
 si Deum præeuntem sequamur. Quid hoc aliud
 est, quam Deo non fidere? quid hoc aliud est,
 nisi plus hominum autoritate, quam diuina
 niti? quid hoc aliud est, nisi plus fidei
 tribuere homini, quam Deo? Quod, quæso te,
 exemplum est maius et grauius et melius,
 Dei ne,

Dei ne, an hominum? Dei. Vtrum exemplum magis sequendum putas, Dei, an hominum? Dei. Deus igitur proprio digito scribit uernacula lingua legem suam, & eam populo Israelitico legendam proponit uernacula lingua: homines dicunt, non eam debere uernaculo sermone contineri? Vtrò te flectas, ad Dei ne, an ad hominum auctoritatem? nimirum ad Dei auctoritatem. Qui hoc non uidet nihil uidet: qui hoc non intelligit, nihil intelligit. At dices: Vernacula Iudæorum lingua bene potest sacra scriptura contineri, sed cæterarum nationum non item. Respondeo: Ergo neque Græcorum, neque Latinorum literis debuit tum contineri, cum populus esset, qui & Græcè et Latine loqueretur. Ergo errarunt Septuaginta interpretes, qui uetus Fœdus de Hebræo Græcum fecerunt tunc, quando Athenæ totaque Græcia florebat, propagabatque ita suam linguam, ut & in Asia, & Europa, & Africa intelligeretur. Errarunt igitur Apostoli, qui Euangelium Christi Græcis, præter unum Matthæum, literis tradiderunt, quo tempore maxime omnium per uniuersum orbem Græca lingua intelligebatur. Errauit usque Ecclesia Græca, quæ uulgari & uernacula lingua habuit semper sacram scripturam. Sed uideo quid hinc mihi respondeas: Quoniam, inquires, Deus uernacula lingua Iudæorum legem eis dedit, &

Apostoli, & Ecclesia Græca, scripturam sacram
 populis quos docebant, Euangelium Græcum
 approbarunt, & Ecclesia Romana & sua, &
 Græca, & Hebræa lingua, tamen si uulgari lo-
 quentem scripturam approbauit, propterea his
 tantum tribus contineri debent, non alijs uer-
 naculis. Responsum accepti à proposito meo
 alienum, maximè, & quòd sumis pro conce-
 sso, id quod nobis in dubio est, quod uicium ap-
 pellat Aristoteles petitionē principij; & quòd
 neque ex ista tua responsione mihi ulla ex par-
 te satisfit. Nam, utcunque respondeas, semper
 eò rem deducam, ut quemadmodum Deus, &
 Apostoli, & Ecclesia Græca suo populo dedit
 scripturam, uernaculis linguis conscriptam, sic
 etiam alijs nationibus etiam suis linguis trans-
 criptam, et posse, et debere tradi credam. Quid
 enim Dei certissimum et grauissimum om-
 nium exemplum sequar? Nam incommoda illa
 la, quibus me urgebas, quòd sacræ literæ in uul-
 gi linguas uerti nō possunt, id ego postea aper-
 tissimè refutabo, et ita refutabo, ut nihil in eo tu
 postea desideres; ideoq; nunc tanquam cōces-
 so hoc, quod mox probabo, dico bellissimè
 posse uerti. Tum & quòd literis uernaculis
 cōtenta scriptura uioletur, quòd sordeat, quòd
 homines sumant ab ea hæresum occasionem,
 quòd alia uitia sequantur, quæ tu longissima
 oratione persecutus es, dico eius esse generis,
 quæ

quæ falsa à me dicuntur, id quod in suo quicquid loco conuincetur. Sed fac posteriora hæc, ut tu dicis, necessaria esse, & necessario uersionem uulgarem sequi. Quid tum inde? Num ista eadem incommoda, non erant etiam in populo Israelitico, cui Deus uernacula lingua conscripsit legem? Num non erant tum in populo Israelitico & senes, & pueri, & mares, & foeminae, & rudes, & docti, & excellenti ingenio, & crasso uiri, & adulteri, & sanguinarij, et homicidæ, & infidentes, & luxuriosi? Num non erant etiam inter eos qui reuiuiscuntiam negarent? num non erant etiam Idololatrae? Num non et illi ipsi Iudæi ad Deastrorum cultum, à uero Deo saepe defecerant? Quod maleficij, & flagitij genus de Iudæorum gente non legitur? Euolue quinque libros Molis, euolue omnes regū & Iudææ, et Israelis annales, euolue Vatum scripta, nusquam non reperias, furta, rapinas, cædes, odia, stupra, auersiones à Deo gentis Iudaicæ, quibus uernacula tum erat sacra scriptura. Si ergo promiscuæ multitudini interpretata nunc, propter illas causas & uiolatur, & sordet, & dat occasionem erroris, aliæque quæ tu attulisti, cum pares etiam Iudæi nobis in re hac eadem sint, etiam eorum manibus scriptura tractabatur, qui & sibi & Deo infensi erant, Ista igitur incommoda quæ tu multa retulisti, aut uidit Deus, aut non uidit: atqui

in Deum ignorantia nulla cadit: ergo uidit ista omnia qualia essent, & quæ poterant euenire. Vidit Deus, & tamen uernacula lingua legem suam tradidit: quid ergo aliter dicimus, quam melius fieri, quam ab eo factum est, fieri non potuisse? Ergo si Deus ista incommoda à te adducta neglexit, uoluitque uoluntatem suam uernacula Iudæorū lingua cōtineri: proponamus nobis in exemplū egregium Dei factū, eumque sine dubitatione sequamur, consectemur, imitemur. Valeant igitur omnes, quicumque sacram scripturam in uulgi linguam uerti negāt. Grauius exemplum adferri nullum potest, quam quod est allatum, propter ingētem Dei bonitatem & sapientiam, qui nobis quicquid conueniat, et quicquid utile sit, pro sua prudentia prouidet, & pro bonitate benignissimè elargit. Sed age, quid si & Vatum & Apostolorum exemplo probem, in uernaculas linguas sacram Scripturam traduci oportere: nōne id probatum abundè fuerit, si ostendam, illos ipsos uernacula suorum temporum lingua & concionatos fuisse, & scripsisse? Occurrit nobis primus omnium Moses. Quid is, nōne populo Israelitico communi omnium sermone loquebatur, et etiam scripsit: quānam, queso te, lingua leges, & caremoniarū & iudiciales tradidit, nisi ea quæ omnibus esset communis, tum pueris, tum senibus, tum mulieribus,

tum

tum uiris, tum cæteris hominibus omnis ætatis, omnis ordinis, omnis sexus? Quid David Rex præstātiſſimus, integerrimus, & sanctiſſimus, nōne etiam eo sermone Psalmos dedit in lucem, quem promiscua multitudo posset intelligere? Quid Vates, nōne & h̄ijs literis monumenta uoluntatis diuinæ consecraverunt, quæ populus tum promiscuè & indifferenter ut audiebat, sic etiam intelligebat? Sic Daniel Syriacè scripsit, quoniam populus Israeliticus ex diuturna seruitute Syriacè tum loquebatur. Reliqui item Prophete, nec concionati sunt de Dei uoluntate quicquam, nisi eo sermone quem populus cum lacte suxerat: neque scripserunt quicquam, nisi his literis, quæ omnium ore, & publicè, & priuatim terebantur. Num non ista tibi & uerissima & certissima uidentur? Consule libros sacros, sacrosq; auctores, & superioris memoriæ historias considera: inuenies profectò ita se rem habere, ut à me explicata est. Quid Apostoli? an non hi etiam uernacula lingua Euangelium suum tradiderunt? Nam Matthæus quidem primus omnium octauo à Christi morte anno historiam Euangelicam conscripsit Hebraicis literis: & id quidem uernacula Iudæorum lingua, quòd (ut est penes Athanasium) ad Hebræos scripsit, idè Hierosolymis. Contra D. Petrus, quòd Romæ prædicauerat Euangelium, uide-

licet inter eos, qui Græcè scirent, deberetq̄ Euangelium suum Alexandriae in Aegypto, Pentapoli, & Lybia euulgari, propterea Græcis illud, non Hebræis literis uoluit contineri. Hæc autem historia Euangelica, quam D. Petrus dictauit Romæ, titulo diui Marci circumfertur, quod eam is à D. Petro excepit, exceptamq̄ inter nationes Græcarum linguarum peritas euulgauerit: quemadmodum & Acta Apostolorum, idem Petrus dictauit, excipiente Luca medico & Apostolo: quæ omnia Græcis literis mandata sunt, cum quod inter gentes Græcis artibus ac disciplinis imbutas apparerent, tum quod lingua Græca eo esset tēpore quam notissima. Sciebant enim Græcè tum & Romani, & Medi, & Armenij, Aegyptij, & bona pars Asianorum. Itaq̄ dum Matthæus & Petrus quicquam mandarūt literis, uernacula lingua scripserunt. Paulus item quum ad Romanos, quum ad Corinthios, quū ad Timotheum scriberet, Græcis literis est usus: sed ad Hebræos non nisi Hebraicè, ut est apud Hieronymum. Eadem de causa Euangelium suum Græcè conscripsit, quod Lucae inscribitur, quia uidelicet Doctor exterarum gentium, ea lingua uti uoluit, quæ tum notissima habebatur. Neq̄ hîc silentio prætermittendi sunt Septuaginta illi nobiles interpretes, qui rogatu Ptolemæi Philadelphi, Aegyptiorum regis, de Hebræo

uetus

uetus Foedus Græcum fecerunt, quoniam ille ad quem Biblia mittebantur, Hebraicarum literarum erat prorsus ignarus. Hebræi omnium primi, sacram Scripturam in peregrinam linguam, non solum uerti permiserunt, sed etiam illi ipsi, ut fieret, uiros suæ gentis peritissimos, miserunt ad Regem. Vellem hîc nonnihil egredi in hoc nobilissimo Iudeorum factò, ut intelligeres, Bononia, quàm isti errēt, qui superstitione incredibili, uersionē Bibliorum in alienam linguam oderunt ac detestantur. Nam si Iudæi omnium nationū maximè superstitiosi, hoc sibi facere licere existimarūt, ut diuinæ literæ uernacula Aegyptiorum & Græcorum lingua loquerētur, quid nobis religioni erit, habere scripturam uernaculè interpretatam? Et, si rem perpendas, illos, quamobrem in uulgares linguas Scripturam sacrā uerti nollent, multas grauissimasq; causas habuisse, quum nos nullam habeamus, intelliges. Illi enim mysteria certa, et quandam quasi diuinitatem, singulis literarū suarū formis tribuunt, in quibus abditissima quædam diuinarum rerum arcana contineantur: quæ, dum in peregrinam linguam Scriptura uertitur, nec intelliguntur, nec apparent uspiam. Tractarem uerius ac fusius hunc locū, nisi uererer ne longior essem: sed ad id, quod agimus, satis est ex paucis his perspici, quanto maiorem nos & fir
miorem

miorem causam traducendorum Bibliorum, quàm illi habuerunt. Instituta igitur persequamur: in quo illud mihi grauissimam affert causam, ut credam uernaculis linguis sacram Scripturam tradi oportere, quòd Christus ipse non alia lingua, cum inter homines ageret, quàm uernacula loqueretur. Predicabat enim atq; docebat Syriacè, quæ tum lingua populo Israelitico uernacula erat. Si igitur Christus uernaculo sermone populū docebat, cur nos eandem Christi doctrinam uernaculo item sermone legendam proponere aut nolemus, aut pertimescimus? Num si Christus cōmuni multitudinis imperitæ sermone utebatur, nō etiam si scripsisset, eodem fuisset sermone scripturus? Loquebatur autem uernacula lingua, scripsisset ergo uernacula lingua. Quod ut credam, & ratio ipsa me docet, & exemplum quod in Apostolis postea portētose & miraculose uideo. Ratio autem hæc est, quòd si scopus & finis prædicationis doctrinæq; Euangelicæ is est, ut per auditionem trahamur ad Deum, & ad fidem Christo habendam: id profectò humano more, duobus potissimum modis fieri potest: aut ut omnes omnis nationis homines uerna & eadem lingua utantur: aut si non utantur, ea lingua conciones fiant, libriq; scribantur, quæ à natione quacq; intelligi possint. Aliiter enim annunciari Verbum Dei nullo modo po-

do potest. Et communem quidem esse omnium nationum linguam, longè præclarum est atq; accommodum, ad prædicationem Euangelij propagandam. Fides enim (ut inquit Paulus) ex auditione: sic breuè sperarem futurum, ut magna ad Remp. Christianam accessio fieret. Qui enim nihil de Christo audierunt, qui poterunt de fide illi habenda cogitare? qui poterunt ueram colendi Dei rationem tenere? Romani tantum in propaganda sua lingua laborarunt, ut breui temporis spacio & Italia uniuersa, & Hispania, & Gallia, & Sicilia, & Sardinia, & Baleares insulae, & Græcia, & Asia minor, & pars Asiae maioris Latine aut loquerentur, aut intelligerent. Nunc si fieri posset auxilio alicuius principis, aut alia arte, ut eadem esset omnibus nationibus (quas memorauimus) & quidem alijs etiã lingua, siue Latina illa, siue Græca, siue Hebræa, siue quæuis alia esset: campus nobis seminandi uerbi Dei longè lateq; pateret. Sed quoniam id aut incuria Christianorum negligitur, aut fieri præ difficultate, uel nullo modo, uel uix potest: superest, ut id quod possumus, quantum in nobis est, faciamus. Veramus igitur Scripturam sacram in omnem omnis nationis uernaculam linguam, ut ad omnes uox Euangelij perueniat, omnium auribus personet: & quibus uerbo Christum non possumus, scriptis tamen nunciemus. Non enim parua

parua res est, uel aliquando de Christo audiisse se, uel eius mentē legendo utcunq; intellexisse. His enim, qui Scripturam legunt, tametsi non intelligant, lucem solet afferre Deus, seq; patefacit, & uiam ad salutem ostendit: quod euenit Aethiopi eunucho Candacæ Aethiopum reginæ præfecto. Idcirco Deus hanc Apostolis habilitatem tribuit, ut diuersis loquerentur linguis, nimirum ut à diuersis nationibus intelligerentur: quo portentosius esse, mea sententia nihil potest. Itaq; hæ sunt duæ causæ, quibus adducor in eam sententiã, ut credam, si Christus scripsisset, uernacula lingua scripturū fuisse. Si igitur Christus natia & uernacula lingua & loquebatur, & fuisset scripturus, quid ni etiam nos natia cuiusq; nationis lingua, libros sacros habeamus loquentes? Nec illa sunt Apostolorum exempla parui momenti. Quid enim, Andreas frater Petri, cum Scythiis, Sogdianis, Saccis prædicaret, an non uernacula lingua loquebatur? loquebatur. Quid, Iacobus Zebedæi filius, cum duodecim tribubus, quæ erant per orbem terræ diuisæ prædicaret, an non uernacula lingua loquebatur? loquebatur. Quid, Bartholomæus cū Indis ijs, qui Fortunati nominantur, prædicaret, an non uernacula lingua loquebatur? loquebatur. Quid, Thomas Apostolus cum Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactris prædicaret, an non uernacula

nacula lingua loquebatur: loquebatur. Quid,
 Matthias, unus de numero Septuaginta disci-
 pulorum, is qui in Iudæa Iscariotæ locum suc-
 cessit, cum in Aethiopia prædicaret, an nō uer-
 nacula lingua loquebatur: loquebatur. Quid,
 an non cæteri omnes Apostoli, prout eis Spiritus
 sanctus dari dabat, uernacula lingua loquebantur:
 loquebantur. Quid, uernaculæ linguæ uoca-
 bulo quid intelligis? nimirum, ut eius nationis
 sermone Apostoli uterentur, apud quam con-
 cionabantur: ut apud Gallos Gallico, apud
 Germanos Germanico, apud Britannos Bri-
 tannico, ita deniq; ut ubiubi gentium prædi-
 carent, intelligerentur. Magno est huic rei ar-
 gumento, illud ex Actis Apostolorum, ubi hu-
 iusmodi uerba reperiuntur: Igitur eius rei
 dissipata fama, uulgò conuenire, & confusi es-
 se, quòd eos sua quisque uernacula lingua lo-
 quentes audiret. Itaq; attoniti omnes miraban-
 tur, sicq; inter sese discutabant: Nonne omnes
 hi, qui loquuntur, Galilæi sunt? Ecquid est, quòd
 nostrum quisq; uernaculam sibi linguam nati-
 uamq; audiat. Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopo-
 tamia incola, Iudæa q; & Cappadocia, Ponti
 & Asia, Phrygia & Pamphylia, & Aegypti,
 & eius Lybiae partis quæ est secundum Cyre-
 nem, & peregrinantes Romani, tū Iudæi, tum
 asciti, Cretensesq; & Arabes, audimus eos re-
 rum diuinarum amplitudinem nostris linguis
 eloquen-

eloquentes. Hæc in Actis Apostolorum. Ex
 quibus apertissimè patet, uariarum linguarum
 cognitionem Apostolos habuisse. Neq; hîc di-
 sputo, utrum Apostoli exterarum nationum
 lingua certè & uerè loquerentur: an cum He-
 braicè uerba facerēt, his apud quos sermonem
 habebant, Deo sic uolente, non Hebraicè, sed
 suo ipsorum sermone loqui uiderentur. Sit ut
 cunq; uoles, ad meum institutū parum refert:
 quandoquidem illud mihi semper concedes,
 ad audientium sermonem attemperasse & ac-
 commodasse linguam suam Apostolos, et non
 contrà. Illud te rogo, quare Deus multarum
 linguarum peritiam Apostolis dederit: non
 ne ut multis uarijsq; gentibus sententiā suam
 aperirent, & mentē: non ne ut intelligere pos-
 sent, & intelligi? Quid igitur Apostoli facerēt
 inter extraneas nationes, uerbi gratia, Barthe-
 lomæus, si rogetur ab Indis fortunatis per mor-
 tem Christi, ut quod uerbo nunciarat Euange-
 lium, literis ad memoriā sempiternam com-
 mendaret: an Hebræa illud lingua conscriberet,
 ut Mathæus: an Græca, ut Paulus: Si Hebræe
 aut Græcè, operam lusisse existimabitur, qui ea
 lingua scribat, quam Indi non intelligunt: pos-
 sentq; illi conqueri, quòd derisui haberentur.
 Quis enim tibi, nisi per iocum aut risum, lite-
 ris tibi ignotis ea mittat, quæ tua intelligere
 maxime intersit: aut ea quæ tibi significarent,
 summo

summo opere rogasses? Extremū item scriptio-
nis & ultimū illud est, ut animi sensa, quæ fue-
ramus ore explicaturi, ea literis committamus:
est enim uox (ut præclare inquit Aristoteles)
mentis interpres: & scriptura, eius sermonis
quem fueramus habituri, si presentes loquere-
mur, nota & index. Ergo si Bartholomæus ro-
gatu Indorū historiam Euangelicam eis con-
scripsisset, Indica lingua & nō alia conscripsis-
set. Qui hæc uiderit & Christi et Apostolorum
exempla, nullum aliud requireret, neque maius,
neq; melius: neq; ad id probandum, quod ago,
efficacius. Sed quoniam non parum solet ha-
bere uirium, quod argumentum autoritate
Ecclesie nititur: ob eam causam testimonio Ec-
clesie hanc meam sententiam confirmandam
putaui. Quid Ecclesia Græca: nonne uersionē
in uulgarem linguam approbauit? Declarant
hoc libri omnes, quotquot ab ea ad nos dima-
narunt, qui illis literis continentur, quæ popu-
lo sunt uniuerso promiscue & indifferenter co-
gnitæ. Declarat hoc ipsum consuetudo illa,
quam omnes in subnascentis Ecclesie tempo-
ribus confectabantur. Tum enim nihil ad tem-
plum, nisi uernacula lingua scriptū, decanta-
batur. Qui mos ita inualuit, ut (quemadmodū
est apud Hieronymū) non solum sacri libri,
sed etiam uirorum præstantiū scripta, à popu-
lo publicè cantarētur. Inter quos unus, & qui-
dem

dem doctus, tantum gratia & authoritate ualuit, tantamq; est eruditionis opinionē consequutus, ut eius scripta pro diuinis in sano publicē per populū decantarentur. Quanquam non ignoro, Græcā linguam, ut nomen ipsum præsefert, communem ita fuisse in republica Græca, ut non ab omnib. ex æquo intelligeretur: sic tamē ut promiscua multitudo nōnullis in locis eius esset peritissima, alijs mediocriter erudita, alijs tametsi non perfectē intelligeretur, ut plurimū tamen, intelligebatur. Id quod facile intelligit ex eo, quia post tot euerfiones & excidia suæ gentis, & imperij, quod in potestatem hostiū Christiani nominis redactū est, ad hunc usq; diē Græcē in Græcia loquuntur. Est igitur exemplo Ecclesiæ Græcæ confirmatum, sacros libros uel quauis alia lingua uernaculos factos, et haberi et legi oportere. Post tantam, tam uariā, tamq; admirabilē exemplorū uarietate, addam, si pateris, illud de D. Hieronymo, uiro sanctissimo, atq; haud scio Latinorum scriptorum in Theologia doctissimo. Is enim non ueritus est, ad suę gentis utilitatem, in Dalmaticam linguam diuinis libros transferre. Quid? Ecclesia Romana nōne tacito quodam consensu approbavit, transferri in cuiusq; nationis uernaculā linguam Biblia oportere: quod duobus potissimū ex locis colligo: uno, quod quotidie in lucem prodeūt cuiq; nationi libri

Libri & ueteris & noui Fœderis sua uernacula
 lingua loquentes: altero, quòd dum permittit in
 Latinam linguam uerti, uidetur etiam causam
 meam approbasse. Nam aut iussit transferri li-
 bros diuinos de Græcis in Latinum, ut à pluri-
 bus intelligerētur, aut alia de causa: quam, quæ
 sit, uix inuenias. Restat igitur ut dicā, Latinos
 esse factos, ut pluribus essent cogniti atq; per-
 specti. Nam nisi id sibi proposuisset tanquam
 scopum, ex Græco nos eos fonte, aut Hebræo
 quasi haurire potuissemus. Quare si ut à pluri-
 bus Scriptura sacra intelligatur, facta est Lati-
 na: à pluribus mehercules intelligetur, si in cu-
 iusq; nationis uernaculam linguam interprete-
 tur. Si quæ dubia hîc occurrunt, quæ mihi ob-
 iici possint, ea prætermitto: iubeo te esse secu-
 rum, quoniam suis quibusq; locis abundè re-
 spondebimus. Mihi nunc animo tacitè cogi-
 tanti, & quasi me referenti ad ea quæ supra di-
 xi, subit admiratio quædam incredibilis: quâ
 fieri possit, ut qui in alia sunt quàm ego de con-
 uertendis libris sacris sententiâ, ut aut hæc non
 uideant, aut non considerent, aut non intelli-
 gant. Non uidere, in tanta præsertim luce, ex-
 tremæ est cæcitatîs: non considerare, hominîs
 est plus satis inertis: non intelligere (bona ue-
 nia me audies) obtusi est ingenij. Sed heu mi-
 seros eos, qui ista uident, considerant, intelli-
 gunt: & ueram sententiâ aut tacent propter

uanum quendam timorem, qui nec imbecilles anículas, uel leniter moueret: aut diuisimulant propter uentrem: aut, quod peius est, funditus conantur per arrogantiam, & scientię opinionem euertere ac destruere. Quos ego admoneo, ut: sed nolo quicquam in hos grauius dici, reprimam me: & moderatę, amice, blandę loquar. Adeste igitur omnes, quicunque in alia estis, quęm ego, hac de re opinione: & quid de ea iudicandum sit, amanter, sine contentione, sine rixis consideremus. Discipuli Pythagorę in disputando hanc rationem tenuerunt, ut nullā maiorem causā affirmandi quid, aut negandi afferre possent, quęm si ita dicerent: Ipse ait. Ipse autem, erat Pythagoras. Platonici in altercando pulchrę sibi armati esse uidentur, si Platonis autoritate muniantur. Hinc est consuetudo illa respondendi, & obijciendi: Diuinus Plato hoc ait, uel illud negat. Porro autem Aristotelis suo quantum Peripatetici tribuant, nemo nescit: pręsertim cum omnes scholę, omnia theatra, omnis domus ita clamare soleat: Hoc Aristotelis uidetur, hoc negat. Inter medicos item Hippocratis, aut Galeni autoritas tanti est, ut quicquid ij dixerint, pro Apollinis oraculo habeatur. Quid de Theologicis doctoribus loquar: an non etiam & apud hos sua est hominum autoritatis uis? Affirma-

firmauerit quid Thomas Aquinas. pro eo pugnant Dominicani, quasi ille nec errauerit, atque adeò, ut ipsis uideatur, nec errare potuerit, tantum sit hominis authoritas. Scotus excogitat interdum aliquid, ad disputandum subtiliter, ad ueritatem autem cognoscendam minus aliquando aptè, ne dicam insulsè & temerè: eum Franciscani pugnacissimè defendunt, quòd sui ordinis hominè labefactari, authoritatem minui arbitrentur. Quid uos, per Deum immortalem obsecro, quid mihi nunc respondebitis, si dicam homunciolum exemplum & authoritatem multo pluris quam Dei authoritatè, maiestatem, dignitatem fieri? Quis hoc non uidet? Philosophi in suo quicquid genere ac secta, principes suos tuentur ac defendunt: & nos Dei, Vaticanum, Christi, Apostolorum, Ecclesie Græcæ, atque adeò Latine etiã, itemque D. Hieronymi maiestatem, exemplum, & authoritatè non tuebimur? Sequimur interdum nescio cuius hominis in edendo, in bibendo, in sedendo, in loquendo, in uestiando exemplum & authoritatè: et Dei exemplum non sequemur? & Vaticanum exemplum non sequemur? & Christi exemplum non sequemur? & Apostolorum exemplum non sequemur? & Ecclesie exemplum non sequemur? Potentissimi alicuius regis principisue uiri exemplum, tantam in populo habet authoritatè ut studiose eum omnes, aut plerique summo cum studio

imitentur : quod cum faciunt, tantum abest ut
 reprehendantur, ut ciuiliores ex eo habeantur,
 laudenturq̃. nos uerò præpotētis Dei, regum
 Regis ac omniū potētissimi exemplū cur non
 studiosè imitemur, consectemurq̃. Inter Plato
 nis discipulos quibusdam tanti Platonis autho
 ritas fuit, ut cum ei similes uideri uellent, uel e
 ius curuatum dorsum imitarentur. Quid hoc
 est? Vicia hominū, quæ sua sunt natura defor
 mia & turpia, homines cū diligētia & arte imi
 tari & conant̃ et pulchrū ducūt: nos uerò egre
 gium Dei, Vatū, Christi, Apostolorū & Eccle
 siæ longè pulcherrimū factum, nō solum non
 imitabimur, sed etiā non esse imitandū conten
 demus? An non meritò dicemus plus authori
 tatis hominib. ab homine, quàm Deo ab homi
 nibus tribui? Sequimur homines, & Deū non
 sequemur: sequimur philosophorū exēpla, &
 Vatū non sequemur? sequimur homuncionū
 exemplum, et Christi nō sequemur? sequimur
 hominū et fallentiū et falsorū exemplū, et Apo
 stolorū constans & firmū exemplū non seque
 mur? sequimur Senatus authoritatem, exem
 plumq̃, & Ecclesiæ exemplū non sequemur?
 Scripsit autē Deus uernacula lingua, scripse
 runt Vates uernacula lingua, concionatus est
 Christus uernacula lingua, & Apostoli scripse
 runt & prædicauerunt uernacula lingua, Eccle
 sia Græca scripsit uernacula lingua, D. Hiero
 nymus

nymus sacras literas facit loquentes uernacula
 lingua: cur igitur nobis aut nō liceat, aut uitio
 dabitur, si sacrā Scripturam uernacula lingua
 loquentē in apertū demus? Quid? concionato
 res uerbi diuini, dū ad populū orationē habēt,
 nōne uernacula utuntur lingua? Nōne &
 Scripturā sacram etiā hi uertūt in uernaculam
 linguam? Si malum est uerti, cur ipsi uertunt: si
 non potest uerti, quī ipsi uertunt? si traditio
 in plebeiu sermonē occasionē errandi dat, cur
 ipsi eam transferunt: cur ipsi in uertendo cau-
 sam plebi erroris afferunt? Si detrahitur de ue-
 luminū sacrōrum autoritate propter uulgi lin-
 guam, cur ipsi eam uertere non uerent? Si ne-
 fas est à uulgo percipi diuina mysteria, ut qui-
 busdam imperitis uidetur, cur à concionatori-
 bus in concionando de huiusmodi populus e-
 docetur? Tale autē nihil nec huius aetatis concio-
 natores, nec superioris memoriæ timuerūt: su-
 perest, ut eorū exemplo trāsferrī literas sacras
 in plebeium sermonem & posse & debere di-
 camus. Christus ad omniū utilitatē mortuus
 est, ab omnib. cognosci uult. Hac de causa uo-
 luit testatam relinquere mortē suam, tum scri-
 ptis, tum ceremonijs ac sacramētis: tum eorum
 testimonio ad uulgus deferri ac nunciari, qui-
 bus Apostolicæ doctrinæ cura commissa est.
 Id ipsum discipulis suis declarauit Iesus, cūm di-
 ceret: Ite ergo, docete omnes gentes. Professō
 i 4 doceri

doceri omnes populi orbis terrarum non poterunt, nisi aut (quemadmodum paulo supra attigi) in uernaculam cuiusque nationis linguam libri sacri conuertantur, aut una fiat omnium populorum communis lingua: aut laboraretur in eo, quacunq̄ fieri possit uia, ut Hebraea, Graeca, Latina lingua, ab omnibus populis intelligantur. Secundum & tertium fortassis regum opera ac sollicitudine assequi possemus, praesertim cum uideamus, tantum commercio suo urbem Romam, apud exteras nationes potuisse, ut Galli, Hispani, Afri, Asiani, Palaestini, Graecè Latineq̄ & intelligerent, & loquerentur. Quod una urbs ad sui imperij amplificationē potuit, quid nī tot Christianorum respública potētissimā efficiant, si uelint id ipsum cōmunibus uotis adipisci? Quod Romani, ditionis angustae causa, fragilisq̄ & caduca fecerūt, multo magis nos propter diuini uerbi propagationē, nullis seculorū etatib. peritura, & moliri debemus, et efficere. Sed haec optanda sunt modò, ut uideo: sunt enim lōgè à nobis posita, nec quando fient uidemus, nec fient fortassis unquam. Interim tamen dum id non possumus, illud quod possumus, efficiamus: plebeio sermone omnium nationū ut sacra uolumina loquātur, totis uiribus enitamur. Sumus autem omnes ea lege Christiani, ut quicquid uel ad Rempubicam utiliter, uel ad Dei reli-

religionem cōmodè, uel ad Christi decreta conuenienter fieri possit, id pro uirilī nō solū conemur, uerūm etiā quoad eius fieri possit, efficiamus. Quum igit̄ nec una sit omnibus nationibus communis lingua, nec Hebræis, Græcis atque Latinis literis sint populi omnes eruditur in patrium sermonem diuinam scripturam nō solūm nō uertimus, sed etiam, ut ne transferatur & seuerè iubemus, & malè, eam transferre conantibus minitatur? Hoc profectò pugnare planè est cum ea, quam profiteamur religionis disciplina. Studiorū præterea illa tenenda uia est, quæ nos ad perfectam disciplinæ cognitionem ducat. quæq; nos aberrare nō sinat. Hinc est doctorum delectus, quem & sapientissimæ Athenæ, & prudens Roma habuit: omnesq; nos debet tangere, atq; adeò sollicitos habere, ut in doctissimis quibusq; doctiores eligamus, à quibus doceri & nos liberosq; nostros uelimus. Platonem aut Aristotelem, si reuiuiscant, potius audiremus, quàm Philoponum, aut Plotinum. Demosthenem aut Ciceronem, nemo nō malit doctorem Rhetoricarum institutionum habere, quàm triuiale quēpiam, tamen si opinione populi eruditum. In reliquis artibus idem desideres; quod apertius est, quàm ut probationis indigeat. Quòd si tanta cura, quantam ex his intelligis, ab hominibus laboratur, in cooptandis et eligendis huma-

narum artium doctoribus: quantum nos ope-
 re, studij, curæ, diligentia ponere ea in re debe-
 mus, ut non quosuis ad docendum nos de diui-
 na uoluntate admittamus, sed eos potissimum
 eligamus, qui certissimæ doctrinæ & excellen-
 tis habeant, non inquam opinionem ac laudē,
 sed locupletissimum testimonium: Quem igitur
 doctorem, quem magistrum, quem concio-
 natorē uel maiori authoritate, uel doctrina me-
 liori, uel sinceriori habebimus, quàm illum ip-
 sum Deum: à quo, ut sunt omnia profecta, sic
 explicari & sincerè & uerè possunt: Etenim à
 nemine alterius sensa animi melius loquendo
 aperiri possunt, quàm ab eo à quo fuerant exco-
 gitata. Deus nos, quasi scholas aperuisset, in sa-
 cris libris cogitata mentis suæ docet: quæ à quo
 melius, quàm à se ipso explicabunt: Is igitur so-
 lus est doctor, & perfectissimus doctor, qui per-
 fectissimè omnes omnis sexus & ætatis homi-
 nes erudire queat. Cur igitur ad talem, tantumquā
 doctorē non sinemus omnes accedere: quem
 admodum ad Pontificum & concionatorum
 aliorum prælectionem ut accedant, non prohibe-
 mus: Excellentes doctores artium habuisse,
 eosquē qui sua ætate præstarent & excellerent,
 summæ cuiusdam ducimus nobilitatis & glori-
 æ: quid uerò, Deum habere in Theologia ma-
 gistrum, quanti putandum est: Si filium docē-
 dum uelis, non nisi doctissimo tradas: si ædes
 emendæ

emendæ sint, aut ædificandæ, non nisi peritissi-
 mum architectum adeas: si uestes aut uasa faci-
 enda cures, exercitatusimum opificem conue-
 nias; si deniq; equum domari aueas, peritissi-
 mum equitandi magistrum conuenias, eiq; tra-
 das. Quid hoc rei est? pluris filiorum in huma-
 nis artibus institutionem, pluris ædes, pluris ue-
 stes & uasa, pluris equum, quàm animum tuũ,
 quàm uitam tuam, quàm immortalitatẽ facis?
 Quis Deo doctior? quis Deo melior? quis me-
 liora docere, quis certiora uerioraq; poterit?
 Hunc igitur malim ab omnibus hominibus au-
 diri, ac potius solum audiri, Nam ceteri omnes
 quantumuis excellant, & falli possunt, & falle-
 re: Deus uerò neminem decipit, nec ipse deci-
 pitur. Contrà, nos propter immersionem ani-
 mi in hanc tenebricosam corporis caliginem,
 nusquã non erramus in tenebris, quæ uera est
 inscitia & ignoratio. Hinc toties & in errores
 incidimus, & semel delapsi multos nobiscũ in
 eundem errorem trahimus. Itaq; hominibus fi-
 des aut nulla, aut minima est habenda. Id indi-
 cavit Augustinus, cum diceret: Quicquid ho-
 mines, quantumuis docti & sancti, singuli seor-
 sum, uel coniunctim uniuersi statuerint, tamẽ
 non ideo uerum credi debere, quod ab ipsis ita
 statutum sit: sed quia quod statuerint, certis e-
 tiam scripturę sacrę testimonijs atq; rationibus
 comprobauerunt. Verum enim uerò si rem pe-
 nitus

nitus inspiciamus, cognoscemus regum exem-
 plo, à nemine potius melius nos Dei decreta,
 quàm ab ipso Deo posse accipere. Nam quic-
 quid de regis animo & uoluntate, ex aliorum re-
 latu acceperis, non tam id pro uero habendum
 est, quàm quòd ab ipsius regis ore audias: simi-
 liter quòd de Dei uoluntate passim aut scribit,
 aut prædicat, aut quocunq; alio modo ad nos
 suas aures peruenit, non est pro sana sinceraq;
 doctrina iudicandum. Verbi enim diuini fun-
 ctionem qui habet, atq; officium, sicuti regum
 ministri, uel ex fauore studioq; partium, uel am-
 bitione, uel quæstu, uel inuidia, uel petulantia
 uitio, uel maleuolentia, heros suos uel produnt,
 uel fraudant, uel minuunt, uel in turbulentissim-
 as calamitates inijciunt, uel interdum occidunt.
 Nusquam enim tuta fides. Ab homine ueritas
 sæpe, imò propè semper uel occultatur, uel dis-
 simulatur, uel opprimitur. Ad fugiendam lit-
 iusmo di fraudis suspicionem, Vates omnes il-
 lud sæpius inculcant: Dicit Deus, Dicit Domi-
 nus exercituum, Dicit Ioua Deus Sebeoth, Di-
 cit Dominus Deus Israelis. Et Christus ipse nõ
 raro omnibus in gerebat, non se à se ipso pro-
 fectum, sed missum à patre: non loqui ex seip-
 so, sed quæ audisset à patre, et quæ mandata ac-
 cepisset. Sermonem deniq; suum non esse suum,
 sed patris sermonem. Hac eadem de causa, D.
 Paulus Apostolatus titulum in omnibus libris
 suis.

suis proponit, profiteturq̄ se cooptatum ad E-
 uangelij munus, et functionē: uocatū ad Apo-
 stolorum consortium, non ex hominum arbi-
 trio, sed Dei sapientissimi electione: Euangelij
 doctrinam se nec ab hominibus, nec per homi-
 nes accepisse. Hoc ipsum reliqui Apostoli ubi-
 que testantur, quo effugiant humanæ fraudis
 suspicionem: sciantq̄ auditores, non de huma-
 nis cōsilijs se, aut placitis, sed de diuinis, quæ est
 ipsamet ueritas, audituros. Nolo hīc pluribus
 tecum agere. confer te ad historias ueterum: ui-
 debis imposturas, figmenta, somnia uanissima,
 deliramenta ab hominibus esse per speciem re-
 ligionis, in Remp. inuecta: quibus se pro diui-
 nis hominibus iactitabant, et cum Deo sermo-
 nem miscere se quoties uellent, gloriabantur.
 De hoc genere sunt Romulus, Numa, Scipio,
 Sertorius, Machumetes. Utinā nec similes his,
 nec, ut uerē dicam, multo etiam peiores, Res-
 publica Christiana haberet, habuisset: nō enim
 in tam turbulenta tempestates adducta uera
 Christi Ecclesia fuisset. Extiterunt multi, & sa-
 nē de his quidem, quibus Ecclesia gubernāda
 commissa fuerat, qui pro diuini uerbi munere
 ac functione, suum negotium agere conarent.
 Hi uel ambitione obcæcati, uel dominandi cu-
 piditate, eō insanix processerunt, ut nullum nō
 lapidem ad errorem uulgi mouerint. Extiterūt
 aliq̄, qui per malitiam, uel imprudentiam ac te-
 merita-

meritatē, uel cōtentionem, falsissimos errores excogitarent, excogitatosq; populo pro diuinis oraculis proponerent: quorū ubiq; magna est copia. Quæ cum ita sint, quis hominū uerbis fidem tribuat, nisi sit aut insanæ mentis, aut plus satis simplex? Nec defuerunt singulari sapientia doctores, qui ad populum dum conciones facerent, falsas opiniones euulgarint, non quòd ipsis esset procreandi falsas opiniones animus: sed quòd à falsitate, quæ se in ueritatem persæpe inlinuat, decepti, falsa pro ueris prædicarint. Tales homines unaquæq; habet regio, quos uideas, ut publicè in hanc partem peccarant, ita etiã in publico populi spectaculo corrigi, uel scriptis, uel suomet ore, quæ antea dixerant, palàm tunc reprobantiū. Quid: inter sanctissimos, integerrimos uiros, summos theologos, Pontifices religiosissimos, non ne aliquot reperias, quorum certa placita hæreseos nomine condemnent: Papias Hieropolitanus pontifex, Victorinus Pictauiensis, Irenæus Lugdunensis, Origenes, Cyprianus, Tertullianus, errarunt interdum, & aliquot eorum opiniones pro hæreticis sunt repudiatae & condemnatae. Quæ si uera sunt, ut certè sunt, quis non malit à Deo ipso doctrinã cœlestem institui, quàm ab hominibus? Sequamur igitur certissimum & uerissimum omnium doctore, Deum, & eius filium Iesum Christū, qui nec errare possunt, nec

nec in errores nos inducere. Et Christus quidē
 lumen est, quo poterimus tenebras nostrā mē-
 tis illustrare, sine quo nemo potest nisi in tene-
 bris uersari. Ipse enim de se prædicat: Ego sum
 lux mundi: qui me sequutus fuerit, nonambu-
 labit in tenebris. Ne igitur à luce destituti, cæci
 erremus aut uagemur, in Christi lumē potius,
 quàm in aliorum intueamur: ipse est uera lux,
 & ab ipso cæteri omnes lucē ad edocendum E-
 uangelium concionandumq; sumunt: à quo igitur
 melius institui possumus? Miseri, inquit
 Cicero, est riuulos consecrari, fontes rerum
 non uidere. Cur igitur concionatores de diui-
 nis placitis audiemus; et sacras literas, quæ fon-
 tes sunt, unde illi suas conciones tanquam ri-
 uulos deducunt, non contemnemur atq; inspi-
 ciamus? Quid quod solus Christus debet audi-
 ri? Pater enim inquit: Hic est filius mihi cha-
 rus, in quo mihi benè complacitum est, ipsum
 audite. Ex quo loco colligit Cyprianus ad Ce-
 cilianum ita: Si Christus audiendus est, non de-
 bemus attendere, quid aliquis ante nos facien-
 dum putauerit: sed quid prior Christus, qui an-
 te omnes est, fecerit. Neq; enim hominis conse-
 qui oportet, sed Dei ueritatem. Ex qua Cypri-
 ani sententia intelligis, nihil esse à nobis facien-
 dum, credendum uē, quod ex sacrorum uolu-
 minum lectione non eruatur. Quod apertè no-
 bis significauit Christus, quū discipulis suis ita
 præci-

» præciperet: Docete eos obseruare omnia quæ
 » cunq; præcepi uobis. Quali sic apertius loque
 retur: Non quod uobis singulis uidebitur re
 » ctiū, id populū docebitis: sed id modò, quòd e
 » go uobis in mādatis dedi, Cuius decreti nō ob
 » litī Apostolī, postea dicebant: Quod uidimus
 » quod audiūmus, de eo testamur, Ergo Apostoli
 tantū sunt eorū testes, quæ à Christo ipsi ac
 ceperāt. Si testes, ergo eius erat doctrīna, à quo
 illi acceptam testabantur. Is autem solus Chri
 stus est: ideoq; eum solum audire debemus, &
 in eius doctrīna, placidè cōquiescere. Cur igit
 talem doctorem non audient omnes mortales
 siue uiri, seu fœmine, cuiusuis sint ætatis atq; or
 dinis? Nū melius nos cōcionator nescio quis,
 quàm Christus, edocebit? at Christus doctorū
 est doctissimus, & ad humani captus intelligen
 tiam accōmodatissimus. Num ardentiori stu
 dio concionatores nos instituent? at in Chri
 sto, qui per beneuolentiam nostri suum sangui
 nem fudit, quid amoris erga nos desideras? Nū
 inuoluit Christus ac implicauit doctrinā suam,
 ut non à quouis intelligeretur? at istud de homi
 ne inuido, malitioso, aut gloriæ auido putan
 dum est, nō de Christo: qua de re suo loco age
 mus pluribus. Forsitan dices: Habēt concio
 natores potestatem præcipiendi in omnes par
 tes, quæ cunq; uolent. At istud falsissimum est,
 quoniam Deuteronomij quarto sic in uniu
 uerūm

uersum præcipit. Ne quid additote ad id quod
 ego uobis præcipio, ne uel quicquam de eo de-
 trahitote. Et sub Esaia persona Deus nos allo-
 quitur his uerbis: Sine causa colunt me, manda-
 ta & doctrinas hominū docentes. Contrā au-
 tem in Christo uideas: nam, Data est mihi, in-
 quit, omnis potestas in cœlo & in terra. Quis
 ergo non debeat hunc potius doctorem, quam
 alium audire? Neque hæc à me eò dicuntur, ut
 nihil concionatoribus fidei habēdum putem:
 sed ut intelligas, quicquid fidei eis habeatur, id
 omne nos ipsis uoluminum sacrorum causa,
 non eorum tribuere. Vnde fit, ut is qui nun-
 quam legerit sacra uolumina, concionatorum
 sermonibus fidem certò & sine dubio habere
 non possit: quoniam necesse est dubitare, ex sa-
 crorum ne librorum sententia, an sua modò lo-
 quantur. De eo quod tu nunquam legeris, nec
 uideris, quicquā certi statuere non potes, uerū
 necne sit. Qui igitur animū induces uera esse,
 quæ in concione dixerit sacerdos, aut quis a-
 lius diuinorū mandatorum minister, si nō ha-
 beas in promptu libros, ad quorū regulam à cō-
 cionatoribus examinentur? Debet unusquisq;
 providere, ne sibi fucus fiat, ne ab hominibus
 decipiat: quod aliter facere non poterit, nisi ab
 huiusmodi technis & fallacijs per sacrarum li-
 terarum lectionem sibi caueat. Cum enim, uel
 dixi, animo quis comprehendit fallacias, im-
 k polituras,

posturas, technas, dolos, fraudes, quibus fuerint nō in quā populū duo, uel tres, sed uniuersus propē terrarum orbis circumuētus, oppressus: ac id quidem nō per quosuis uiros, sed eos qui aut gratia & authoritate apud populum ualerent, aut Dei mandata quæ sibi erant commissa prætenderent: sibi timet, nemini fidit, non plus fidei tribuit, quā ipse certissimo testimonio comprobauit. Quo pacto tranquillitatem animus assequet, quo pacto in dubio non uersabitur, quo pacto sibi satisfaciet, nisi habeat ad manus sacra uolumina, quæ eum securum reddant: Non ne hæc quæ numerauimus, doctis ac indoctis, plebeijs ac patricijs, maribus ac feminis negotium solent facessere? Cur non & his concedatur scriptura sacra, ut dubia ab animo depellant, ueritatem planè cognoscant, & agnitam constanter profiteantur atque defendant: Hanc quietem animorum, conscientie placidam tranquillitatē, quis melius, quā sacra lectio, dabit: unde melius, quā ex libris diuinis cōsequamur: Ecclesia, dices, his omnibus prouidebit. Fateor id esse eius, præter alia officium: sed hæc non omnia semper uidet (loquor autem de pontificum cœtu) non omnibus in locis præsto adest, nō in omnibus concionibus quid agat uidet: de quo paulo infra multo plura disputabunt. Illud uelis nolis cōcedes, concionatores & falli posse, & fallere: id quod multis

multis argumentis probatū est. Scripturā uerò
 sacram necesse est fatearis uerā esse, certā esse,
 neminē decipere aut decepisse unquam. Vtrū
 igitur malles sequi, Scripturam ne, an concio-
 natores? Scripturam. Quur igit Scripturā po-
 pulo interdices, & ad concionatores eum alle-
 gabis? Si Origenes, uel Basilius, uel Hierony-
 mus in uitā reuocati, concionaturi prodeāt, an
 non hos malit audire populus, quā trūiales,
 garrulos, & ut ita dicā, strigosos cōcionatores?
 Si consiliū plebi petenti dares, utrū consuleres,
 Chrysostrum ne aut Ambrosiū, an Occanū
 aut Passanautiū cōcionib, faciendis præfici-
 nimirum Chrysostrum uel Ambrosium longē
 illis præferres, quōd sint doctrinæ excellen-
 tioris atq; sincerioris. O rem meo instituto ac-
 commodam. O rem tuis uq; Bononia, con-
 trariam. Si grauiorem & sinceriozem antepo-
 nendum putas, quidni Christū doctorem om-
 nibus concionatoribus præponamus? Christo
 nihil purius, nihil uerius, nihil sincerius: ipsum
 ergo potius, quā alium, audiamus. Deinde
 transferēdi sunt libri sacri in plebeium sermo-
 nem, hoc etiā nomine, quōd longē sit utile Rei
 publicæ, & singulorū hominum moribus salu-
 tare. Tales enim euadimus semper, aut plerun-
 que, quales sunt cōgressus colloquiaq; nostra,
 & libri quos legimus. Accolloquia quidē & li-
 brorū lectio, re ipsa idem mihi sunt, idē ualent,

nisi quòd paruo quodã momẽto distinguuntur
sunt enim colloquia, uerba & sermo quem ho-
mines inter se ore colloquuntur: at lectio libro-
rum, sermo est à nobis cum eis qui absunt, ex
scripto habitus. Itaq; siue uerbo, siue scripto col-
loquia fiant, pro eodẽ reapse habebunt. Con-
sidera nũc omnium omnis ætatis philosopho-
rum decreta, uidec; cum quibus sermonem in-
stituamus præceperint. Scriptum est satis ac-
curatẽ in Græcia olim de amicitia: scripserunt
item Latini aliquet & superioris memoriæ &
nostræ, quibus hoc unum in ore est, ut amicitia
non nisi cū bonis et probis contrahamus, quòd
consuetudine uidelicet, familiaritate, & ut uno
uerbo complectar, sermone quotidiano tales
efficiamur, quales sint amicitia, sermones &
consuetudo eorum, quos quotidie audiamus.
Et Romani quidem sapientissimè iuuenibus
prouidisse mihi uident, quòd eos cum prætex-
ta ad domum insignis in Repub. uiri deduceret;
à quo per sermonẽ quotidianũ, tum uitæ pro-
bitatem, tum se in Republica præclarè gerendi
rationem sibi compararent. Ex istimabãt enim
id quod res est, per uitæ alterius exemplum, &
sermonem, & consuetudinẽ, iuuentutem lon-
gè euadere nobiliorem. Hoc idem D. Am-
brosius in Officijs suis uehementer probat, &
omni Christiano homini faciendum censeo.
Quid ego Ambrosium; an non & cæteri ome-
nes qui

nes, quicumque in theologia scripserunt, idē iudicant: Quod si in colloquijs suscipiendis, permagni interest ad nostram institutionem, & uitæ communis utilitatem, cum bonis colloqui: idem cerē in libris statuendum ac seruandum est, & eò seuerius, quod libri cum tota Republica sermones ineunt, & non cum eius aliqua parte. Hinc fit, ut & facilius, & breuiori temporis spacio mores Reipublice per scriptionē, quam per colloquium, contrarias in partes, uel in rectam institutionem pertrahantur, uel in corruptelam. Hac de causa solebat Græcia sapiens seuerissimē in eos animaduertere, qui libros in publicum edidissent, ex quorum lectione aut iuuenes corrumpi, aut Respublica loco dimoueri posset. Constat multos multorum libros hac de causa in Græcia combustos fuisse, & eorum authores aut capite diminutos, aut carceribus toto uitæ suæ curriculo detentos, aut in longissimas terras amandatos, aut interfectos etiam fuisse. Quod quoniam tu haud ignoras, admonuisse sat est, De Romanis illud silentio præterire non possum de libris qui publicē Senatus consensu ignibus traditi sunt, quod ea docerent, quæ uel honestatis parum, uel multum haberent turpitudinis. Lege historias Romanas, nunquam non occurrent huiusmodi exempla, Ouidij Nasonis exilium quis prætereat? Exulauit hic, nec ue-

niam potuit delicti consequi, quod libros de
 Amore euulgasset. Adeo seuerè in eos animad-
 uertebatur, qui aliquid scripsissent, ex quo in-
 tegrilas uitæ labefactari posset. Quid nos Chri-
 stiani? annon libros praua doctrina infectos,
 solemus comburere, redigereq; in nihilum, si
 possumus, ita ut ipsi libri cum authoribus suis
 funditus delerentur. & si non possumus, id sal-
 tem facimus quod possumus: cauemus sub gra-
 uissima pœna, ut ne imprimantur, ne ue uen-
 dantur, ne ue emanent, ne ue legantur. Id ne-
 mo nescit: & tu omnium optimè nosti, qui uel
 Lutetiæ, uel Louaniæ, eorum cõuentui sepe in-
 terfueris, qui librarium auctorum è Republica
 Christiana propter falsam doctrinam eijcien-
 dorum collegerunt, quod postea in lucem emi-
 serunt. Ex his omnibus perspicuum est, tales
 nos euadere solere, quales libri sint, quos le-
 gendos suscipiamus. Qui in improborum li-
 brorum lectione uersatur, improbus: qui soli-
 dæ doctrinæ ueræq; & probatæ libros legis
 probus & bonus reddi solet. Quæ lectio aut
 melior, aut probatior, aut sanctior, quàm diu-
 norum librorum, nõ inquam esse, sed uel à no-
 bis cogitari potest: Si authorem spectes, Deus
 eam composuit: si argumentum, coelestia no-
 bis aperit, summum bonum docet, legem be-
 ne beateq; uiuendi tradit. si authoritatem, nulli
 subiecta est, & omnes ab ea iudicantur: est ite-

Regum,

Regum, principum uirorum, senatum, honorificentissimis decretis comprobata. si utilitatem, reliquæ uitæ utilitates, quæ multæ sunt, cū ea quæ ex sacrorum uoluminum lectione percipitur, comparatæ, penè dicam inutilitates & incommoda iudicabunt. Quum igitur hæc ita sese habeant, cur nō uertentur libri sacri in uernaculam linguam? Habet promiscua multitudo patrio sermone historias regū & suæ gentis & exterarum, habet de Philosophia contentiosos libros, habet sex cetera alia huius generis: quæ aut nihil interest ad Rempub. aut certè parum interest cognosci. Parua queror: sunt fabulæ plusquam aniles in cuiusq; nationis natiuū sermonem euulgatæ, futilitatis & uanitatis plene: quæ hoc unū insigniter præstāt, ut bona plebis ingenia & sceleriter nata, male exerceantur in his, quæ nō attigisse præstitisset. Pereunt enim et tempus & bonæ horæ, in leuissimis rebus collocatæ: nec alius postea huiusmodi lectionis usus sequitur, quàm ut legēdo à natīua bonitate animus noster expellatur. Quid enim aliud flagrantes libidine adolescētes, quid puellæ amoris impotentes, quid lænarū dolosæ artes, quid iuuenum parentes fallendī astutia, quid supra, quid sacrilegia, quid per insidias cædes & hominum et populorum, quid aliud uel his nequiora uitia afferūt, quàm ut nobis dēt malè faciendī, malè cogitādī uia: in quo cogitando dū

animus est occupatus, interdū delectatur pra-
 uarum rerū meditatione: interdum eadē facere
 conatur, quæ in similibus libris reperit: interdū
 perfricat frontē, & multo peiora per nefas ad-
 mittit: habet enim exemplū, si non uerū ac cer-
 tum, saltem adumbratū & mentitum, quod se-
 quatur. Deus faceret, aut ut ego hīc mentirer,
 aut ut tales libri nusquam apparerent. Nolo re-
 censere præstigijs, quæ à Plinio incantamenta
 nominantur: quibus ea docentur, quæ nemini
 prodesse, et uniuerso terrarū orbi obesse solent.
 Prætermitto deos, falsasq; religiones in huius-
 modi libris repertas: quæ animis nostris opini-
 onem sepe ingerunt eam, qua persuasi multi, à
 uero Dei cultu recesserunt. Ac tamen si hæc in-
 commoda Remp. Christianam non urgerent,
 hoc solū nomine deiici & cōdemnari huiusmo-
 di libri deberent, quòd ea loquant, quæ profes-
 sioni Christianæ omnino repugnant. Tales li-
 bri concedunt plebeijs indoctis, rudibus, idio-
 tis: nec libri sacri concedentur. Commenta ho-
 minū, et sanè perniciosā quidē habebit imperi-
 tum uulgus, leget, releget: nec uerā Dei doctri-
 nā poterit attingere. Habet corruptelā morū,
 euerzionem populorū, oppugnationes religio-
 nis natua sua lingua cōscriptas: nec habere po-
 terit morū correctionem, populorū status ad-
 iuantes & conseruantes causas: & sacrorum
 diuinicq; cultus defensionem iustam, meritā, &
 ab ont-

ab omnibus suscipiendam (quæ in Biblijs est) habere non poterit. Quàm nulla ratione infinitæ multitudini sacra uolumina denegentur, satis ex his quæ diximus intelligere potuisti: in quibus graues sunt, & non uulgares causæ. Colliges itē ex hoc, denegari populo diuinos libros non oportere, quòd cum nos ex animo & corpore consistemus, utrumq; suum habet alimentum, quo sustentetur & uiuat. Et corpori quidem alimenta multa, uaria, laute splendideq; comparantur, quæ nemini cupienti denegantur. Si quis est opibus & diuitijs potens, utrum abundanter & copiose parat cum sibi, tum reliquis quos charos habet, ut uxori, ut liberis, ut cognatis, ut amicis. Amicorum nomine etiam & hi continentur, quos egestas insequitur & affligit, quibus, quod natura denegat alimentum, id diuites & ex benignitate sua & ex Dei præcepto largiuntur. Hominis uerò altera pars, quæ uel animus, uel mens nominatur, suum etiam habet nutrimentum: quòd si quæras quale, & quid sit, in promptu est, nimirum id quod ex ueteri Fœdere desumptum, contra tentatorem Diabolum attulit Christus: Non, cc inquit, solo pane uiuit homo, sed omni uerbo cc per os Dei prodeunte. Hoc idem Petrus testatur, cum diceret: Ut recens nati infantes rationale & alienum à fraude lac appetite, ut & ego, cc grandescatis ad salutem. Ex quibus locis appa- cc

ret, quòd cibus corpori, idipsum animo uerbum diuinum præstare. Cibum capere nemini non licet, pueris, iuuenibus, adolescentibus, uiris, senibus, forminis, puellis: cur alimentum animi, quæ sacra scriptura est, ulli hominũ denegabitur? Alimento crescit corpus, sacrorum librorum lectione augetur animus. Alimento sustentatur corpus, diuinorum uoluminum lectione sustentatur animus. Viuit per nutrimentum corpus, per Scripturæ sacre lectionem uiuit animus. Denicq̃, ut Christus ipse testatur, indiget omnis homo Scriptura sacra, tãquam animi alimento: id quod est. Si quis præciperet, ut non omnibus cibũ capere liceret, annon derideret? Annon huiusmodi decreta pro nihilo habebuntur? an non concordibus uotis in talem legislatorem conspirabũt omnes, quòd animum inducent, ab eo sibi ipsis insidias parari, mortem accersiri? Ita ne uerò? plus hanc corporis fragilem caducamq̃ uitam, quàm animi sempiternam facimus? Cibum corpori non patimur detrahi: & animo eripi patiemur? & animo uetari patiemur? non uiuitur mortalis uita sine cibo: & spiritalis illa internaq̃ sine alimento degetur? Circumueniunt nos infinitæ hostium copię, indicitur nobis undiq̃ bellum, irruunt hostes, excurrũt insolenter in nostras possessiones, prælia mouent, manus conserunt, cõburunt, destruunt, uastant nos nostrasq̃ cum corporis

corporis tum animi preciosissimas possessiones, & ut ita dicā, imperia. A lateribus, à fronte, à tergo, calamitatibus multis circumuenti tenemur, quas solent importare aer, aqua, terra, homines: & ex his etiam interdum amici amicis, parentes filijs, cognati cognatis, affines affinibus. Malus genius omni copiarū instructissimo exercitu, omni machina, omni arte, omni stratagemate, omni dolo, clam, ex insidijs, & noctu & interdiu nos oppugnat: quemadmodum speculator ille singularis, D. Paulus admonet. Nec, tamen foris hostes nullos habemus, domi defunt, quibuscum continenter bellum geramus: sunt morbi, qui nos modò his, modò illis in partibus acriter ac uehemēter urgeant, quibus medicamentū ex diuina arte faciendum est. Irrumpunt sæpe, & nos truculenter inuadunt effrenata libido, inuidentiā, odium, ira, impietas & aduersum Deum & patriam & parentes. Transeo gloriæ cupiditatem, insolentiam, aliasq; animi perniciosas perturbationes. Cōtra tot, tantos, tales, tamq; instructos ac munitos hostes, qui nullo nō loco & tempore nos prouocant ad pugnam, lacesunt, faciūt etiam uulnera, quibus armis muniti resistemus? An Deus hac in parte nos deseruit, inermes hostibus obiecit? minimè uerò. sed dedit arma firmissima: & si exemplo profano in re non profana uti liceat, firmiora certè, quàm ea fuerunt quæ

quæ Cyclopum arte fabrefacta, Aeneæ Trofano Vulcanus dono dedit: quorum tâta dicitur fuisse firmitas, ut nullis icibus perforari possent. Arma Christi nobis ad talem pugnam dedita ignoras: audi diuum Paulum ad Ephesios cum ait: Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbū Dei. Si ergo sacra scriptura uerbum Dei est, & hoc nostra arma: si semper periculum ab hostibus nobis imminet, si terrores semper incutiuntur, si deniq; (ut inquit Iobus) quàm diu homo uiuit, militiam gerit: an nō omnibus oportet esse in promptu huiusmodi arma? Semper nos oppugnat aduersarius noster Sathan, semper in calamitatibus sumus, semper à nobis ipsis, id est cupiditate prauisq; appetitionibus oppugnamur: semper igitur oportet arma ad nostram defensionem habeamus. A pueris æquē ac uiris, ac senibus, ac mulieribus, omnis ætatis, omnis ordinis bellū gerendum est: hosti resistendum est omni loco, & omni tempore: quī quæso te armabuntur, nisi habeāt sacras literas in natiuam linguā interpretatas? Sic enim tanquā ex armario domestico, quoties et quādo opus fuerit, arma deproment. In sacris literis interdū Dei serui appellamur, interdū filij, interdū amici, interdū inimici: quas appellationes si cōsideres, uidebis sine dubio, in patrium cuiusq; nationis sermonem sacra Biblia uertenda esse. Seruus enim
herilia

herilia iussa qui capeffet, qui præstabit, nisi abs se intelligantur: Homines qui iniusti sunt, qui improbi, quæcunq; mandata seruis dant, ea nõ nisi sermone, quem ipsi serui intelligant, tradere solent: num Deus integerrimus, sanctissimus, benignissimus herus, nolit mandata sua ab hominibus, seruis suis, ea oratione dari, quam intelligant: Iam filiorum hoc maximè proprium est, ut parentibus pietatem, reuerentiam, obedientiam tribuant: hanc quo pacto reddere poterunt, si uoluntatem parentum ignorent: Quæ ab amicis inter se scribuntur literæ, hoc nomine exarari solent, ut certiores alij alios faciant de his quæ sua interest cognouisse. Cur quæso Dei literæ ab amico ad amicũ datæ, non ea lingua contineantur, quæ amicis inter se nota sit, atq; cognita? Amicorũ literas libèter legimus, deosculamur, in sinu gestamus: cur non itidem sacram scripturam, ab amicissimo ad amicissimos delatam, amplectamur, osculemur, & in manibus semper habeamus? & cur non ea lingua habeamus, ex qua cognoscere possimus, ut se eius negotia habeant, & quæ gerantur: Inimicitiarum susceptarum contentio cum ab omnibus alijs, tum maximè à Deo nobis calamitatem affert atq; interitũ. Itaq; cum hoc gratiam reconciliemus maximè oportet, si nobis consultum uolumus. Qui poterimus autem cũ Deo reconciliari, nisi foederis pacisq; conditio
nes ac

nes ac leges legantur, cognoscanturque: Sed quoniam pacto ea, quibus Deo offensionis sumus, cognoscantur, nisi certo sciamus quæ nos Christo concilient, & quæ alienent: hæc enim duo necessaria sunt illi, qui in alterius gratiã uel reponi uelit, uel conseruari. Dixit Dauid, Præceptum Domini solidum illustrat oculos: & Lucerna est pedibus meis uerbum tuum, et lux semitis meis. Tandiu offundet humanæ mentis caligo, tandiu à tenebris occupabimur, quoad diuina luce illustrati noctem depellamus. Qui enim in tenebris uersatur, discernere colores non potest. Vide nunc quid Christus dicat: Qui luminis uult usum & utilitatem consequi, non illud occultat & abscondit, sed in medium omnium adducit, in eo loco ponit, unde homines & uideant & uideantur. Scriptura autem sacra, ut diximus, lucerna est, & lumen ad eijciendas tenebras humanæ mentis propositum: quæ nisi ea lingua descripta circumferat, quæ ab omnibus intelligi possit, non mihi lux, sed tenebræ meritisimò uideatur. Quemadmodum enim si quis cum candelã habeat, uel ardẽtem facem, eam non omnibus palãm sinat prælucere, sed in cornu, quod transmittere lucem non possit, includat: is perinde mihi facere uideatur, ac si non lucẽ tradidisset, debet enim omnibus spectanda proponi lux (si lumen dare uelis) nec est cuiquã occultanda, Similiter & ij qui sacras

lit. ras

literas non debere uerti in patrium cuiuscumque nationis sermonem contendunt, sine dubio lumē diuinum occultant: quod quicumque non uidet, caligine circumueniuntur obscura. Ab Ireneo diuina scriptura basis, fundamentum, et columna dicitur nostrae fidei: in qua quid poterit excelsari non uideo, nisi prius a nobis cognoscatur, quis enim eo ad aedificationem utatur, quod quale sit, profus ignoret? Architectus in aedificio erigendo, in re parui momenti, sic se gerit, ut lapides, lateres, coemeta, calcem, materiamque omnem diligenter explorandam curet: nos in re omnium grauissima (agitur enim de salute nostra) cur idem non faciemus? cognosci autem ab omnibus sacra scriptura non poterit, nisi ab omnibus legi possit: ideoque in uernaculam linguam uerti debet. Quid? scientiae comparandae non ne duo sunt instrumenta? alterum in audiendo est, alterum in legendo: quibus duobus omnes homines in omnibus utuntur artibus, et uitae disciplinarumque instituendis studiis, & promouendis: haec eadem cur nobis in Theologia uersantibus, usui esse non poterunt? Discit Grammaticus, discit Rhetor, discit Dialecticus, Philosophus, Medicus, Mathematicus, Iurisconsultus, utriusque instrumenti auxilio usus: cur non & Christianus professionis suae doctrinam, et audientiae & lectione librorum capiet? Humanae artes hoc sibi uendicant iuris, ut & per audiendum & legen-

& legendum, disci uelint diuinam scripturam
 per auditionem tantum intelligi debere
 censetis? Si ut multis locis à te probatum est, nul-
 la scientia atq; doctrina difficiliorem habet cog-
 nitionem, quam scriptura sacra, certè hanc nos
 pluribus modis tentare oportet intelligendam,
 quam reliquas omnes. Difficilissima enim quæ
 maximam requirunt diligentiam, ut percipian-
 tur. Quemadmodum enim in oppidis his quæ
 obsidione cinguntur, ut quodq; munitissimum
 est, & præsidij munitissimum, ita maxime ne-
 cessariæ sunt omnis generis machinæ ad eius
 oppugnationem: sic etiam, ut quæq; difficilissima
 est doctrina, sic quàm plurima & quàm maxi-
 ma opus sunt nobis instrumenta, ut difficultas
 omnis superetur. Itaq; in cæteris disciplinarum
 generibus, si enitendum est summo cum labore,
 diligentia, industria, meditatione diurna atq;
 nocturna: iisdem nos multò diligentius atq; co-
 tentius uti decet, ad sacram scripturam intelligen-
 dum. Oportebit igitur eius explicationem ab
 his, penes quos summa doctrinæ theologice
 laus est, audire: & audita diligenter reperere, ca-
 demq; legendo non modò confirmare, sed au-
 gere etiam: sic fiet, ut maiorem habeamus cer-
 lestis doctrinæ cognitionem atq; adeò certio-
 rem. Cõstat igitur, eos qui nolint sacras literas
 uernacula lingua contineri, tamen si uerbo ne-
 gent, re tamen ipsa iudicare, difficilissimis qui-
 busq;

busq̄ rebus paucioribus opus esse instrumētis,
 quā alijs difficultatis expertibus, aut salē mi-
 nus difficilibus. Quod quum turpissimū sit, su-
 perest, ut Biblia in uulgares linguas interprete-
 mur, ne non solum audiendo, sed legendo etiā
 intelligantur. Quid? an non & ad docendū &
 ad discendum, utilis est sacrorum uoluminum
 in uulgi linguā traductio? Est sanē uerò: quan-
 quam tu longē aliter iudicas: & hoc primo ar-
 gumēto uidebaris tibi insigniter armatus, ad-
 uersus me sententiamq̄ meam, ita ut non debe-
 re uerti conuicisse arbitrareris. Sed quo modo
 istud probabas? dicā. Attulisti dignitatē eorū,
 qui concionibus faciendis nauant operam: ex-
 emplū Christi cōmemorasti, Pauli ad Timo-
 theum præceptum non reliquisti, nec Ecclesiæ
 consuetudinem prætermisisti. Vt uno uerbo ti-
 bi ad ista respondeam, uera sunt quæ com-
 memorasti omnia: sed eius generis, quæ ad cōuin-
 cendum ea quæ animo destinaras, parū essent
 efficacia, ne dicam inepta & leuia. Quid enim
 sibi uult: Non cuius permittendū est, concio-
 nes facere ad populū? Nemo interest eorū con-
 cionibus, quos nō intelligit: ergo nō sunt sacra
 uolumina conuertenda. O egregiam syllogis-
 mi fabricam. Argumentum erat à quæstione
 proposita alienū omnino, nec dispositio legiti-
 mam habebat structuram. Ego contra proba-
 bo firmissima ratione, cōstantiq̄, et ad discen-

dum & docendum utile esse, haberi uernaculis
 linguis sacras literas comprehensas: ex quo tota
 illa argumentatio tua, quæ omni ex parte nu-
 tat, corruet funditus. Qui docet de diuinis man-
 datis populum, ij aut didicerunt aliquando, aut
 non didicerunt. Didicerunt. Aut patrio sermone,
 aut peregrino, Theologiam edocti sunt: non
 nec de tua sententia, ex peregrinis literis insi-
 ti eam intellexerunt: quandoquidem Hebræa,
 Græca, et Latina lingua, sacri libri continentur.
 Num in addiscendo peregrinam linguam co-
 pus est tempore, & labore, et sumptibus, an non
 nihil sine labore discitur, nihil sine tempore, ni-
 hil sine impensa. Ergo ut addisceret conciona-
 tor ille tuus, siue doctor, peregrinas istas lin-
 guas, multum temporis consumpsit, multum la-
 boris posuit, ingentem pecuniæ uim fudit. ali-
 ter enim disci non potest. Peto nunc, si uernacula
 lingua diuinæ literæ loquerentur, non & tempore
 et laboris, & pecuniarum, quæ fit, impensio, pro-
 pter peregrinas linguas intelligendum, est uita tol-
 leretur, nec ne: tolleretur, quoniam ex nativo ser-
 mone Theologiam disceremus, quem nos cum
 lacte quasi sugimus: non ne id in lucris maxi-
 mis poneretur: ita sane uerò. Tempore, ut tu di-
 cebas, nihil preciosius: labor quid sit, nomen ip-
 sum præ se fert: pecunias si possis non impen-
 dere, & ad rem domesticam, & ad omnes uita-
 rationes maximopere confert. Denique si recte
 perpen-

perpendas, quanta sit horum trium, quæ à me referuntur, utilitas, iudicabis sine dubio, in omni uitæ cursu maximas esse commoditates & utilitates, sed hanc unam multò esse maximã. Qui ergo in sacras literas per uernaculæ translationis opportunitatem, nec temporis tantum, nec laboris tantum, nec pecuniarum tantum insumit, quantum si ex aliena lingua petat Bibliorum intelligentiam, profectò et ad discendum, & ad docendum transductio Bibliorum est utilissima. Omitto hîc multa alia, quæ à me adduci possent, de linguarum difficultate ac uarietate: quæ à me aliter, quam tu dixisti in tua disputatione, ostenderentur. Illud tantum dicam, patrum sermonem cuiusque homini maximè esse cognitum: ideoque quicquid propria suæ gentis oratione quisque legerit, id necesse est & melius et facilius intelligat. Quæ duo si uera sunt, ut sine dubio sunt, transductio diuinorum librorum conferret tum ad docendum, tum ad discendum: quoniam & faciliorem quisque, & meliorem Bibliorum cognitionem tenebit. Quid quòd uel peritissimis quibusque sæpe occurrunt in peregrina lingua certæ dicendi formæ, certa quedam uerba, quæ nisi consulant uocabularia, quæ dicuntur, uix, ac ne uix quidem intelligi possunt. Habemus igitur, siue doceamus, siue discamus, hanc ex transductione utilitatem, ut omnes phrasas, omnia uerba quæcumque occurrerent, sine lexi-

corum opera intelligantur. Nonne tibi hæc in-
 gentes uidentur utilitates? Addiscentium offi-
 cia tria uulgo perhibentur: ut attentissimè audi-
 ant prælectiones, ut legant accuratè per se do-
 mi, ut repetant quæcunq; audierint. Populus
 Christianus dū ad concionē conuenit, nonne
 ut doceatur cōuenit: sunt ergo discipuli, & qui
 concionantur doctores. Cur non sinemus, ut
 hi populares auditores atque discipuli, priuato
 studio repetant de præceptoribus audita? Ali-
 ter enim nos ipsi in caussa erimus, quo minus
 discipuli suo fungantur munere. Quod in om-
 nibus omnium artium disciplinis, discipulis non
 modò cōcedimus, sed etiam omni conatu per-
 suadere conamur, ut quæcunque à præceptore
 audierint, repetant assiduè ac diligenter, ob-
 amq; rem sit eis librorum copia, ut præsentibus li-
 brorum lectione in memoriã reuocent à præ-
 ceptoribus dictata: cur non idem plebeis uerbis
 Diuini auditoribus cōcedemus? Qui contra fa-
 ciunt, hi mihi hoc unum sibi proponere uidentur,
 ut nolint, aut non patiantur auditores præ-
 lectiones meminisse. Quid quòd sapientū præ-
 ceptū est, nihil ad doctrinam eorū qui discunt
 nec ad leuandum institutoris laborem melius
 reperiri posse, quàm si diligētī auditorum cura
 atq; solertia fiat, ut quicquid à magistris auditu-
 ri sint, id domi paulò antè legant, faciantq; uis-
 riarum suarum periculum: sic futurum pollicentur,
 ut melius

ut melius prælectionem intelligant, & ut doctores molestia interrogationum liberentur. Hac regula si metiamur in uernaculam linguam sacrorum librorum translationem, fatebimur, fat scio, non modò utile esse in Repub. eam Christiana retineri, sed etiam summè necessariam. Hæc tu argumenta in disputando non uidisti: ideoq; concludebas insignem illam complexionem. Ergo neq; ad utilitatem docentium, neque addiscentium, uertendi sunt in uulgares linguas libri sacri: nisi tu dicas, ex libris, quam ex doctoribus, malle te diuinam philosophiam intelligere. Probasti eo loco satis multis (ut tibi uidebare) sine doctoribus, nihil addisci posse, idq; multis exemplis amplificasti. Neque his contentus, ad institutorum, uerbiq; diuini concionatorum multitudinem, sermonem transtulisti: ubi uidebaris tibi abunde probasse, plus satis esse in Repub. concionatorum. Ex quo fiebat, tuo arbitrio, ut superuacanea Bibliorum translatio uideret. Quod enim per se quis intelligere non potest, habetq; plurimos ubiq; eo de rerum genere, quod ignorat, doctores ac magistros, eos consulere debet, ne tempus & operam in libris euoluendis malè perdat. Si ita sese res haberet, ut à te ostendebatur, facile tibi conceder, eaq; frem in opinionem tuam: uerùm quoniam uideo ex argutia quadam, te mecum egisse ac disputasse, nec ex firmis aut probabilibus argu-

mentis: hoc nomine non possum te non uehementer reprehendere, sententiamq; tuam. Respondebo igitur ad ea, primùm quæ de concionatorum multitudine disputasti: & hinc me ad eam quæstionem, Possit ne quis per se diuinam scripturam intelligere, nec ne, conuertam. De concionatorum frequentia, prorsus tibi dissentio: est enim tanta eorū penuria, quanta in Reipub. maior esse nulla potest. Nā quotumquæq; de sacerdotibus Cardinalibus, aut Pontificibus, aut Abbatum numero, aut Canonicorū, aut Curionum, uideas ad populum cōcionantem: cōcionantem uerò: quin potius dixerim, quotusquisq; est de isto Patrum Ecclesiasticorum numero, præter pauculos quosdam, qui Theologiā norit? Verùm licet omnes per me sint docti, omnes in Theologiæ studio ita sint uersati, ut præstent atq; excellant. nunquam tamen concionantur: quid de his dicendum est, nisi quod Christus in Euangelica historia de illo dicit, qui commissum sibi talentum absconderat: Serue nequam: reliqua tu nosti. Non enim uult Deus celari à nobis beneficia sua, sed ea in lucem proferrī, & docendo, & consulendo, et cōmunicando. Sed quod Pontifices nō faciunt, id fortassis eorum uicarij præstant: populum docent, erudiunt, instituunt. Utinā hic mentirer: nihil certè præstant minus. Concionatorum porro in ciuitatibus & oppidīs, quæ sequenter

frequenter habitantur, satis abundè est: uerùm in uicis, pagis, paruis casarum societatibus, tanta est penuria, quantam sine lachrymis uix referre possum. Vno hîc exemplo, aut altero contentus ero, ut fugiam uerbolitatem. Valentia mea, hoc uno nomine præter cæteras Hispaniarum ciuitates efferrî laudibus solet, quòd hæc una plures et frequētiores diuinorum mandatorum concionatores habeat, quàm quæuis alia, non iam Hispaniarum dicam, sed totius etiam Europæ. Nec famæ ac opinioni de se, facta eius non respondent. Fiunt enim ad populum conciones diuinæ singulis serè diebus, per totum annum, non solum festis, sed etiam operarijs, ut ita dicâ, diebus: nec id ab hominibus uulgari eruditione præditis, sed ab his qui in primis docti atq; insignes, & sunt & habentur. Hæc tamen fiunt in urbe ea quæ caput est totius Valentini regni, à qua nomen ipsi regno inditum est. Extra urbem autem hanc, quot millia sunt pagorû, in quibus tametsi oues diuini gregis pastores habeant, ad tondendum lanam & lac exprimendum, nulli tamen sunt ad pascendum, & aquadum. Sunt enim inter hos pagos alij, apud quos octo conciones habeantur modo singulis annis: septem, in septem dominicis quadragessimæ diebus: et octaua in eius diuisarijs, quas suorum pagorum præsidî consecraverunt. Atq; has octo conciones qui habent uici,

frequentissimos esse oportet, & inter cæteros
 maximè insignes. Alij semel quotannis è sug-
 gesto doctorem Euāgelij orantē audiunt, idq̄
 eo die quo suo prælici sacrum solenne faciunt.
 Sunt alij, de quibus haud scio an unquam, ex
 quo nomen Christo dederūt, Euangelicā præ-
 dicationem audierint: quorum numerus sex-
 centorum est. De Cattaloniæ populis nihil di-
 cam: quoniam si maior pars eius concionatorū
 ad faciendas cōciones Valentia eò proficiscun-
 tur, quum fontes ipsi litiant, non opus est dice-
 re, quāta uerbi diuini arefcant siccitate. Quod
 si doleo, & uehementer meritoq̄ doleo uicem
 eius nationis, quæ concionatoribus omniū re-
 fertissima esse, magna consensione iudicatur:
 quid de reliquis Hispaniæ nationibus dicendū
 est: Nōne euidentissimum est, magnam esse
 concionatorum paucitatem, egestatem, penur-
 riam: Galliarum populis, & his Germaniæ in-
 ferioris regionibus, etiam est sua concionatorū
 paucitas: quanquā non ita magna, propter op-
 pidorum frequenter habitatorum multitudi-
 nem: quæ cum paucis passuum millibus alia ab
 alijs distet, pagi qui circumcirca sunt, ad illa fe-
 stis diebus solent confluere, audiendū uerbi Di-
 uini causa. Hęc nobis recto iudicio, ac sine per-
 turbatione considerantibus, uidebunt sanè pa-
 stores ouis Diuini non opus functionis sue fa-
 cere, sed opes accumulare. Quod uitium usq̄
 eò uetus

eò uetus est in Ecclesia, ut de eo omnes omnis
 ætatis sanctissimi uiri conquerantur. Nā Eze-
 chiel inuehitur in pastores sue ætatis his uerbis:
 Ve pastoribus Israelis, qui pascebāt semetipsos. «
 Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac co- «
 medebatis & lanis cooperiebamini, & quod «
 crassum erat occidebatis, gregem autē meum «
 non pascebatis. Et Esaias deplorat eandē hanc
 calamitatē: Speculatores, inquit, eius cæci om- «
 nes, nesciebāt: uniuersi canes muti, non ualen- «
 tes latrare: uidentes uana, dormientes & aman- «
 tes somnia: & canes impudentissimi, nescierūt «
 saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelli- «
 gentiam. Omnes in uiam suam declinauerunt, «
 unusquisq; ad auaritiā suam, à summo usque «
 ad nouissimum. Venite sumemus uinū, & im- «
 pleamur ebrietate: et erit sicut hodie, sic et cras, «
 & multò amplius. Et Ieremias: Grex perditus, «
 inquit, factus est populus meus, pastores eorū «
 seduxerunt eos. Origenes, Athanasius, Gre- «
 gorius, Ambrosius, Augustinus, multis in locis
 uicem dolent & pastorum & ouilis Christi, &
 in eorum negligentiam uehementissimè inue-
 huntur: omnibus tamen uehementius & Cy-
 prianus, & Bernardus. Quæ quū apertiora sint
 quàm ut negari possint, uidebaris tibi omnia
 sepire & occultare posse, si una penè dixerim
 ironia (quid enim aliud interpreter?) ita respō-
 distes: Cessatum est ab his (loquebaris autē de

Ecclesiæ ministris) superioribus temporibus,
 nunc tamen pro uirili suum quisq; officium fa-
 cit. Quod istud responsum est: quæ excusatio?
 Non uides quàm falsis rationibus, tuam con-
 ris defendere opinionem: Cessatum est, inquis:
 quasi uerò & nunc etiã non cessetur: quasi non
 tam ociosi & oscitantes hodie pastores cessent,
 quàm Patrum memoria cessabãt. Primũ istud
 mihi, si negaro, fortasse non probabis. Sed age,
 do, concedo: quid tum inde? Num quòd non
 sint ita mali pastores hodiè, ut superiori ætate,
 proinde & hi in malis non habebuntur: Cessa-
 runt illi, cessant & hi, utriq; ergo in culpa sunt:
 & licet non in pari, nihilo minus utriq; negli-
 gentiæ iudicio condemnandi sunt. Hæc te non
 fugiunt, & tamen audes dicere: iam suum quis-
 que officium pro uirili facit. Officium ne tibi fa-
 cere uidetur hi, qui pro derelicto, imò pro con-
 tempto habent gregem Christianum, quem Ie-
 sus Christus non auro, non argento, non uesti-
 bus preciosis, non gemmis, sed suo ipsius san-
 guine comparauit? Relinquunt palantes oues,
 relinquunt fame enectas, cibo potuq; carentes,
 sine custode: & non rarò iidem hi, qui earũ cu-
 rã gerere debebant, pro pastoribus & canibus,
 qui solent gregem defendere, lupos truculen-
 tissimos, rabidissimosq; agunt, inuadunt oues,
 laniant, lacerant. Si hoc est officium suũ facere,
 consentio tecum Bononia, omnes officio satis-
 faciunt,

faciunt, paſtorum ubiq; magna eſt copia. Neq;
 ignoro permultos eſſe Pontifices, Abbates, Cur
 riones, qui ſuum munus diligētīſimè obeant:
 ſed horū paruus eſt numerus. Utinam omnes
 eſſent ſimiles Reginaldo Polo, Angliæ integer
 rimo Cardinali: aut Franciſco Mēdozio, Bur
 genſi Cardinali: aut Martinio Siliceo, Archie
 piſcopo Toletano: aut Thomæ Villanouano,
 Archiepiſcopo Valentino: nec eſſet nobis tan
 ta dolendi oblata occaſio: & ſperaremus breui
 ſere, ut quicquid ſuperiori ætate in hanc partē
 peccatum eſt, corrigeretur & emendaretur.
 Quod ut citius conſequamur, Deū Opt. Max.
 lachrymis, gemitibus, & ex animo noctu &
 interdū oremus, ut uelit tandem tam deploras
 tis rebus opem ferre. De hoc ſatis: ad concio
 natorum uerbi diuini paucitatem redeo. Non
 ne tibi ex his quæ diximus, ſatis conſtat, quan
 ta ſit miniſtrorum ignorantia, inſcītia, & ſui of
 ficij negligentia? Si iſta te non mouent, fac pe
 riculum, & apertius uidebis: uoca priuatim cal
 cearios, fabros, architectos, latomos, textores,
 cæterosq; opifices: & hos cōuentos interroga,
 quid cenſeant de Deo, quid ſit peccatū, et quot
 eius genera, quibus modis Deo inſeruiatur:
 quæ facta à nobis exigat lex, quæ deteſtetur, &
 quot modis eam nos præſtare poſſimus, quæ
 præmia conſtituta ſint rectè facientibus, & pra
 uè, quæ ſupplicia. Aut fatebuntur ſe prorsus iſta
 igno

ignorare, aut qui peritiores de tanta multitudi-
 ne uidebuntur, si quid respondeant, ita respon-
 debūt, ut eos tacuisse præstitisset. Sed quid ego
 te ad opifices & mercenarios homines allego?
 interroga patricos ipsos, & nobiles: nihilo
 plus ab his intelligi ista cognosces, quam à ple-
 beijs opificibus: usq; adeò præ ignorantia cecu-
 tiunt. Hæc igitur inscitia omnium in Republica
 ordinum, unde nisi à pastorum negligētia ma-
 nat: Quare non est quòd affirmes, magnā esse
 concionatorum uim & copiam, ob eamq; rem
 non indigere populum Bibliorum in suam lin-
 guam conuersorum. Nec si concedam tantum
 esse numerum, ac talem tum Pontificum, tum
 concionatorum, qualem quantumq; esse con-
 tendebas: quicquam inde uel pro te, uel contra
 me adducere queas. Quod ut uideamus, age
 cōcedo tibi, satis esse in Repub. Christiana con-
 cionatorum: atq; eos tam numerosos esse con-
 cedo, ut singulis hominibus singuli sint con-
 cionatores, & hi morum integritate & Theo-
 logiæ doctrina uel Apostolis ipsis pares. Num
 ex eo colliges, sacras literas in uernaculam lin-
 guam uerti non debere: nihil minus. Nam sco-
 pus atq; extremum concionatorum omnium
 is est, ut populus de Diuina uoluntate doceat,
 legem Dei teneat, honesta confectetur, turpia
 perhorrescat. Hæc à concionatoribus audita,
 memoriæ mandat populus: quæ non negabis,
 tena-

tenacius & altius infigi, si sapius reperantur, quam si semel aut iterum. Hac eadem si non solū uerbo ab alijs audias, sed etiam in libris per te legas, facilius multo memoria retinebis, an non: nemo dubitat. Cur ergo sacra uolumina non uertentur? Hęc etiam utilitatem ex translatione capiemus, ut quicquid in concione audierimus, in id non tāquam peregrini in alienā regionem, sed tāquam ciues in proprias sedes pedē posuisse uideamur: recognoscemus quę antea cognoramus, nec tanquā rudes rerumq; imperiti ea quę dicentur, admirabimur: quę quanta sit utilitas, nemo nescit. Nec deerunt multi, quibus ea sollicitudo & cura animū punget, ut antequā ad publicas cōciones ueniant, domi illud caput Euangelij, quod concionator populo sit explicaturus, euoluat atq; consideret: unde cum præmeditatus accesserit, nemo dubitat, quin maiore cū fructu à publica concione recessurus sit, quā si non præmeditatus accessisset. Cur non ergo traduci Biblia patiemur? At superuacanea uidetur ista sacrorum uoluminum translatio, ubi tanta sit doctorum abundātia & copīa. Istud iam refutatum est ex his quę dicta sunt: & nūc ita respondemus, ut si quarum artium doctorum abūdē est, earum libri superuacanei putandi sunt, non uideo cur ex scholis omnes omnium disciplinarum libri ē medio non tollantur. In Grāmatica, siue Hebræa,

bræa, siue Græca, siue Latina discenda sit, non desunt institutores. Dialecticæ præcepta qui accuratè & diligenter tradant, infinita est doctorum multitudo. Rhetoricæ ac philosophiæ studio si tenearis, numerosus occurret magistrorum grex, qui passim & ubiq; tum publicè, tum priuatim earum artium decreta prælegant. Deniq; nulla est de tot artium generibus, nulla est inquam disciplina, quàm innumerabiles magistri non doceant. Hos si uelis conferre cum his qui Dei mandata ad populum delata explecent, non dubito quin sis dicturus, multo plures esse liberalium artium, qui eas publicè interpretentur doctores, quàm Diuini uerbi predicatorum. Compara item discipulos, id est, auditores utrinq; inter se, id ipsum colliges: nam in uno oppido, uerbi gratia Louanij, populū qui de suggesto diuina mandata doceant, paruus est numerus, habita ratione auditorū. Sunt enim uix quadraginta cōcionatores, cum hominum amplius sit duodecim millium. Contra in scholis quàm paruum addiscentium siue Dialecticam, siue Rhetoricam, siue Philosophiam, siue Medicinam, siue Iurisprudentiam numerum reperias? Vix sunt ex his qui ad Iuris ciuilibus studium se contulerunt, mille adolescentes (quod exemplum uolui asserre potius, quàm aliud: propterea quòd maior pars scholasticorū qui Louanij degunt, Iurisprudentiæ disciplinā colunt)

lunt) at huius artis doctorū, qui eam publicē
prælegāt, ac priuatim uis & numerus magnus
est, usq; eò, ut si uelis omnes eos in unum con-
ferre atque numerare quos scholastici possunt,
ubi scrupulus quispiā suos animos urgeat, con-
sulere, binī quicq; suos sint habituri institutores.
Ergo si diuina uolumina eò non sunt in patriū
sermonem cuiusq; nationis uertēda, quòd sint
multi concionatores, qui de diuinis mandatis
ad populum concionentur, quum in omnibus
omnium artium disciplinīs multo plures, si au-
ditorum ratio habenda sit, passim reperias: cur
non potius liberalium artium libros, quàm di-
uinorum mandatorum imprimi prohibeas &
uetes? Atqui nemo unquam istud faciendum
duxit, imò & uerbis honorificis, & suo quisq;
exemplo comprobauit, nihil magis esse e Re-
pub. literaria, quàm esse librorum in quoq; ar-
tium genere infinitam multitudinem, tametsi
essent earum infiniti professores atq; doctores.
Sed hac de re paulo infrā agā pluribus, suo lo-
co. Quamobrem nō propterea libri reiiciendi
aut non habendi, quòd abundē sit doctorū co-
pia earum artium, quas fuerant libri contentu-
ri. Forsitan dicat aliquis, quod tu dixisti, de quo
dicturum me fidem dedisse memini: Nō est sa-
cra scriptura sine doctore aggredienda; nemo
eam per se intelligere potest. Istud Per se, non
fatis intelligo sibi quid uelit; nam nemo ferē
Christia-

Christianorum est, cui istud uerè possis obijcere, Per te diuinas literas uis addiscere: nam omnes aliquando de Diuina uoluntate uel domi à parentibus, uel foris à concionatoribus, uel amicorum colloquijs, aliquid de Deo, de eius lege audierunt: quod tu mihi negare non poteris, præsertim quum dicas nullum esse oppidum, nullum uicum, nullum pagum, atq; adeò nullam domum (sic enim cõtendebas) quin tuum habeat Diuinorum mādatorum interpretem. Quid igitur: isti tui ministri, interpretes, magistri, doctores, edocent populo diuinam scripturam, an non? Dicebas omnes docere, & quidem diligenter certè. Tales igitur tot tantosq; concionatores, quum ex tua sententia omnes populi habeant, qui certis statutisq; diebus & publicè populū de diuina uoluntate instituant & priuatim etiam, si res ferat: quis est cui illud possis uerè dicere, Per te diuinas literas intelligere nō potes? Adde etiam, quòd in Repub. bene constituta, à teneris annis singuli institui debent & doceri de Deo, de peccato, de lege, de gratia Dei: quæ omnia paucis uersibus, si philosophicam deuites, & bene doceri possunt, & facile disci: quod in primis nascentis Ecclesiæ temporibus factitatum esse legimus, & ad longissimum tempus conseruatum. Sed hominum inertia periit egregius iste mos, cum alijs quam plurimis: eorūq; bonorum Pontificum manus & olli

& officium esset, hunc morem in Rempub.
 Christianam reuocare, & componere breuent
 aliquam Christianæ professionis institutionē,
 ea lingua & ea facilitate conscriptam, ut uel im-
 peritissimus quisq; eam intelligere posset. Hæc
 ego institutionem uelim simplicem, apertam,
 sine spinosarum quæstionum cōtentione pro-
 poni, nec à quocunq; eam proponi, sed summa
 Pontificum industria prouideri, ut eius com-
 ponendæ causa priuata Synodus conuocetur
 in singulis regionibus, ut eam sui ouilis singu-
 lis & uniuersis ouibus possint de cōmuni om-
 nium sententiâ & authoritate tradere. Sic fie-
 ret, ut à puero omnes instituerētur, nec locum
 illud uspiã haberet: Nemo potest per se sacram
 scripturam intelligere. Nam bonam theologiæ
 partem haberet sibi cognitam, quicunq; talem
 institutionem percepisset. Spes est fore breuis,
 ut nusquã non huiusmodi institutiones ad pro-
 miscuæ multitudinis utilitatem habeãtur: præ-
 sertim quum iam uideamus hoc argumenti ge-
 nus, non infœliciter accessisse quibusdam illud
 tentantibus, & in Gallia, & Italia, & Hispania.
 Habet enim multitudo populi uniuersa pro-
 miscuë & indifferēter earum trium nationum,
 quas memoro, catechismum, natiuo suę gentis
 loquentem sermone. Sed de hoc satis instituta
 persequamur. Sine doctoribus, inquis, nō pos-
 sunt diuina uolumina intelligi, An non & libri
 m docto

doctores etiam censentur? Quid enim aliud libri cōscripti sunt, quàm homines, qui cū uerbo nos docere non queant, scriptis docēt: quæ ambæ docēdi rationes re ipsa idem sunt, nisi quòd hoc illa ab hac differt, quòd altera uoce uiua, altera scripto fiat, & progrediatur. Vnde manauit illud omnium ore tritum prouerbiū: Libri, doctores mortui sunt. Quicumq; igitur libros legerunt, his nemo certè obijciat, nisi per malitiā & petulantiam, uelle se sacram scripturam sine doctorū opera atq; auxilio intelligere. At uiuæ uocis magna est uis & efficacia, nemo negat: sed neq; tu hoc mihi negabis, quod omnes concedunt, Volare irreuocabile uerbū: & Oratiorē, quam quisq; habeat, uelocissimè pertranfire: quam propterea nisi attentè audias, periculum est, ut nihil ex ea quod in tuū usum sit, atq; emolumentū, percipere possis. Libri uerò quoniam eadem repetūt, quoties & quando uoles, manēt semper, in eodem consistunt loco, non fugiunt ut oratio: ob eamq; rem multo maiorem habent ad docēdum efficacitatem, quàm uiua uox habeat. Neque est quòd mihi pertinaciter obijcias, sine doctorum opera scripturam sacram percipi non posse: quoniam uerbi sunt concionatores, qui festis diebus ante & post meridiem, populum diligenter doceant: per quorum interpretationem quum potissimum uelim à populo literas sacras haberi & intelligi, nemo reperietur;

perietur, qui sine magistrorum interpretatione Biblia sibi intelligenda putet. Quid enim aliud sunt cōcionatores, quàm populi doctores atq; magistri? Quotidie prodit (ut tu dicebas) in concionē minister Ecclesie, doctrinā cœlestem docet, uoluntatē Dei aperit, historias & ueteris & noui Fœderis diligenter aperit, modum & confitendī, & orandī, & ieiuniorū faciendorū, & sacrificiorū explanat, locos inter se cōparat, uaticinia comprobat, difficultates & nodos soluit, repugnantias & discordias (quæ in Biblijs interdum inesse uidentur, cum tamen nullę res ipsa sint) tollit, & conciliat, an non? Ergo is de plebe qui talia nōrit, quo pacto sua ipsius industria & opera libros sacros tentat intelligere? Quin rē nobis penitus intuentibus, sine dubio uidebitur ob eā potissimū causam sacros libros nō esse plebi interdiciēdos, quòd multi sint uerbi legisq; diuinę cōcionatores. Nā in tanta frequentia, quantā tu tua unius oratione facis, periculū nullū est ab errore. Consulet enim unusquisq; aliquem de ista multitudine, quies dignus iudice nodus inciderit: sic fiet, ut omnis tollatur non solūm ignorātia, sed etiā omnis errādī suspicio. Tentabunt enim uel infimi quicq; de plebe, sacrarū literarū sensus à concionibus instructi, ex diuinis libris eruerē: in quo si minus res successerit, habebūt occasionem implorādī tum Dei, tum doctorū hominū auxiliū: ex quo

& Deo honos, & hominibus etiã reuerentiã tribu-
 buetur; in altero ad pietatem excitabimur, in al-
 tero ad mutuã hominũ charitatẽ: quibus ex re-
 bus tota natura rerũ uiuit, augetur, sustentatur.
 Idiota igitur adeptus diuinorũ sensuum intelle-
 gentiã, supplicii animo gratias Deo opt. maxi-
 mas ager, q̃ sibi caliginem mentis suo lumine
 illustrarit: rogabitq̃, ut non minus propitius in
 reliquis omnibus sibi esse uelit. Sin minus mys-
 teria sacrorũ uoluminũ consequatur, aut pre-
 ces ad Deũ toto pectore, totoq̃ animo fundet
 (quod etiã uel doctissimis quibusq̃ semper fa-
 ciendũ est) animũ nõ despondebit, sustinebit se
 summa illa promissionis diuinæ spe: Querite,
 petite, pulsate, aut adibit eos, penes quos nõ est
 uulgaris eruditionis apud populũ existimatio.
 hos consulet, consilia cõmunicabit, difficultatẽ
 sibi oblatã aperiet: ut quod per se intelligere nõ
 poterat, id per alterius opẽ atq̃ doctrinã conie-
 quat. Quæ quũ ita sint, nemo iure queat dicere
 illud uulgare dictũ: Tu proprio Marte scriptu-
 rã sacrã intelligere nõ poteris. Nemo est enim
 ad hunc quẽ dixi modũ, qui tamen si nullos au-
 diat in scholis publicẽ sacrarũ literarũ doctores,
 ipse per se Bibliorũ maiestatem intelligere uel
 le dici possit. Quid si probẽ, neminem nõ pos-
 se per se, sine alterius hominis auxilio, diuinã
 scripturã intelligere: aut saltẽ quicq̃ ad salutẽ
 beatitatemq̃ cõsequendã pertineat, suo ipsius
 labore

labore neminem non posse consequi? Tu fortassis fieri posse negabis: & quantum & ex tua oratione intellexi, & ex uultu tuo cōiicio, constanter negabis. Non te multis detinebo: dictū ac probatū faciam, quod me facturum probaturūq; non ita multo antē promisi. In quo probādo, liberabo etiā meam fidem alterius dubij dissoluendi, quā duobus in locis suprā dederā: uidelicet, nō omnia uideri ab Ecclesia, non omnibus quæ fiunt eam interesse, nec quid agatur uidere semper posse: interdū etiā ne medicinā quidē ipsi facere licere sui corporis, aliquot malē affectis mēbris, propter temporū iniquitatem. Quod ut planū faciā & apertū, reuoca animū ad ea oppida, ad eos uicos, ad eos pagos regni Valentini, quibus (ut dicebam) aut ocio cōciones, aut una tantū, aut nulla etiam fiat. Finge me in his pagis natū, finge me ita educatum (quales illi sunt) ut nullam humanarū disciplinarū cognitionē teneam, studia nulla coluerim. Duo abs te nunc peto: primū, an hīc pastores cessent, & ab officio recedant? Deinde, an debeam ego, tametsi pastores abutātur officio suo, nec me doceāt, meū officium facere: quale est, scire quibus in rebus obedientia Deo præstanda sit, quo pacto ipsi à nobis inseruīdum, quo pacto bene agendū, quo pacto à malo recedēdum. Officiū certē pastores in eo deserūt, quia præcipuum eorum officium est, ut ex om-

nibus ferè sacris libris patet, pascere populū doctrina uerbi cœlestis. Hanc igitur pastorum ab officio suo discessionē, peto utrum Ecclesia uideat, an nō? Libentissimè dicerem, ab Ecclesia eam non uideri. nam quod exitium populi uideat, si non auertat atq; procuret, id summe cuiusdam esse uidetur impietatis. Ergo nō omnia Ecclesia uidet, nō omnibus rebus interest, nec quid agatur semper uidet. Si dicas ab Ecclesia illam discessionē uideri, concludes ipsemet, nō id quod antea ipse inferebā, sed illud quod multo est tolerabilius, Ecclesiā interdum dormire: idq; non suo (est enim maximè de nostris commodis sollicita) sed pastorū uitio atq; pigritia. Sit utcūq; uoles, uel hoc, uel illo modo; hoc tamen certissimo cōstat, in his quos memorauimus locis, per pastorū incuriam, populū esse diuinæ uoluntatis imperitū ac rudem. De me autē ceterisq; hominibus, quibus tã negligens & ignarus obtigit pastor, nemo dubitat quin omnes ad unū legem Dei cognitā habere debeamus, ut rectā ad eū pergamus; neue, quēadmodum scriptum est, uel ad dextram uel sinistrā, aut erremus aut flectamus. Quo igitur pacto diuinā uoluntatē intelligam, bene uiuendi rationē tenebo, nisi habeā apud me diuinos libros in patriam orationē cōuersos? Per me autē intellige hominē (qualem me finxi, utinā nō sim) imperitū, ignarū omnis literaturæ, rudē linguarū, & Hebræar,

Hebrææ, & Græcæ, & Latinæ. Diuinã legẽ in-
 telligere, ut debeo, sic etiam uolo: à quo discã: à
 concionatoribus ne, an à libris: concionatores
 nulli sunt, libri nusquã apparent: quoniã quod
 his literis cõtinetur, quas nõ intelligo, perinde
 mihi est, ac si scriptũ nõ fuisset. Sed interpreta-
 tos iam in uulgarẽ linguã atq; meã libros pona-
 mus: de eo nũc quæstio est, possim ne ipse sine
 doctore, ea quæ ad salutẽ pertinẽt, per me ex li-
 bris intelligere, nec ne possim. Posse cõtendo:
 nam si neminẽ unq; deserit Deus, nulli auxiliũ
 suũ denegat, omnib. Locũ dat ad salutẽ. pia ora-
 tio est eorũ qui iudicãt hũc hominẽ (me semper
 intellige) si uelit operã diuinæ scripturæ dare,
 nõ frustra tẽpus cõsumpturũ fuisset: quin potius
 intellecturum omnia, quæcunq; ad salutẽ erũt
 utilia atq; salubria. Ducit omnes animãtes, uel
 rationis etiã expertes, ad eũ finẽ Deus, cui eas
 destinarat: an & hominẽ nõ ducet etiã ad exi-
 tũ, et ad extremũ illud, cuius causã cõditus est?
 Extremũ autẽ est beatitas illa sempiterna, nullo
 tẽporis successu peritura, quã nobis pollicitus
 est Deus, ad quã nos allicit, quã uult à nobis &
 uniuersis & singulis possideri. Sũ ego flagrantĩ
 studio cognoscẽdæ legis diuinę: nihil habeo in
 uotis magis, quã ut ei morẽ gerã, probitatem
 consecrẽ, fugiam malum. Concionatores me
 deficiunt, doctores qui me erudiant nõ habeo:
 libros tamen habeo, hos lego, relego, perlego,

reuolo assidue & cum cura, uoco Deum frequentissimis precibus in auxilium: an ego non potero ad hunc modum sacra Biblia intelligere: Si non possum, non est quod de me Deus supplicium sumat, si non seruarim suam legem: & quod peius est, dicam cum homine multo peius actum esse a Deo, quam cum bestiis, quod has ad finem suum ipsarum perducatur, illum non solum in uia deserat, sed etiam aditum ipsi precludere uideatur. Quid quod mendacii (absit) insinulari possit & condemnari Deus, quod quum fidem nobis saepe dederit, neminem a se deserendum, qui se implorarit, hac una in re fidem frangat: non enim petenti sapientiam, ad salutem necessariam, tribuit. Quod ut evidentius a me ostendatur, asseram aliquot exempla non uulgaria. Auxentius Arianæ factionis pontificatum Mediolani tenuit: cui postea successit D. Ambrosius. is Auxentius cum reliquis ministris atque æmulis, uirus suæ sectæ per Mediolanensem diocesim euomebatur, inficiebant populum prauis opinionibus, & doctrina contaminata. Quid hic faciet imperitum uulgus? Si credat Pontifici, eiusque ministris, incidet in heresim: sin minus, quid sequetur? nimirum conferet se ad sacrâ scripturâ, ex qua doctrinam petet, implorata Dei ope. Hic etiam nonne Ecclesia aut non interest omnibus, concionibus, nec quid agatur in his omnibus locis uidet: aut si uidet, certe auxi-

auxiliū dare non potest, propter temporum
 difficultatē: Berillus Bosternæ in Arabia pon-
 tifex, nō fuisse Christum ullo temporis spacio,
 antequam nasceretur, asseuerabat: simul etiam
 in eo Dei patris diuinitatem solum habitasse
 cōtendebat. Quid hīc populus faciet? quid Ec-
 clesiat? an non etiam hæc aut ignorauit per ali-
 quod tempus, quid Berillus faceret: aut eius cō-
 tagioni medicinam facere (quanquam maxi-
 me uellet) non ita citō potuit? Paulus Samosa-
 tenus Antiochiæ pontifex, filium Dei ē coelis
 descendisse negabat, & Christū in terris à Ma-
 ria esse prognatum affirmabat. Quid hīc popu-
 lus faciat? quid Ecclesia? an non quid ageret
 Samosatenus, aut non ita citō intellexit, aut
 resistere non potuit? Manes, à quo Manichæo-
 rum secta nomen habet, duos facit deos: unum
 bonum, alterum malum, & utrunq; iuxta æter-
 num. Quid hīc populus faciat? quid Ecclesia?
 an non aliquando quid ageretur à Manichæis
 ignorauit: aut si sciuit, medicinam adhibere nō
 potuit, quoniam ducētos annos eius secta per-
 durauit? Arianae factionis atq; hæresis tanta fu-
 it potentia, ut multos tum reges et imperatores
 potentissimos, tum pontifices doctissimos ad
 se pertraxerit. Hanc enim amplexata est uni-
 uersa ferē Ecclesia quæ est ad ortum solis, et bo-
 na pars huius quæ est ad obitum, quam Roma-
 nam appellamus. Quid hīc populus faciat? au-
 m 5 diet ne

diet ne concionatores: at hi heretici sunt omnes.
 Querat, inquires, alios qui nulla sint prauæ eru-
 ditionis macula notati. Primum tales non repe-
 riebantur principio, quum suborta est hæresis
 Ariana: nam omnes pontifices omnium popu-
 lorum, aut exules longè à suis sedibus uagabân-
 tur, aut in custodia publica detinebantur: aut
 qui nec in exilio, nec in carcere erant, uerbū nō
 audebāt hîscere. Duo præstantissimi ac sanctis-
 simi uiri Alexander & Athanasius, principio
 ueras Christianæ Reipub. partes susceperunt:
 resistebant hæresi, eam oppugnabant. sed alter
 mortuus est: alter publicatis suis à Constantio
 imperatore bonis, mortis terrore Treuerim
 usq; profugit. Quem igitur eligeret? Deinde quū
 hæc plures annos, quā quæuis alia durauerit
 hæresis, temporis successione, mortuis iam ue-
 teribus parentibus, penes quos erat solida et ue-
 ra Christi doctrina, nulli nisi factiosi & perditii
 concionatores reperiebantur. Quem igitur po-
 pulus eligeret? Ecclesia item, tametsi suspicari ac
 potius scire poterat, quid in locis his, apud quos
 degebant Ariani, quid inquam ageretur, non
 tamen aut perfectè norat, quales in hoc uel illo
 loco conciones haberentur: aut si norat, medi-
 cinam dare non poterat, propterea quod acri-
 ter ipsa undiq; urgebatur, premebatur, usq; eo
 ut ne respirandi quidem locum haberet. Sed fac
 eam, si uoles, nihil nō scire eorū quæ gerebant,
 Eccle

Ecclesiam omnibus interesse, omnia suis ocu-
 lis lustrare, uidere, et quasi suis manibus tracta-
 re: nihil plus ferè proficit, quàm si nusquam ad-
 esset: tanta rabie ab omnibus in eam saeuiebat.
 Quam Ecclesiae afflictionem, atq; adeò exitiũ
 ex his poteris intelligere, quæ ad hunc modum
 descripsit Athanasius: Põtifices uincti à mili-
 tibus ducebantur, pupillorum, orphanorum et
 uiduarũ domus diripiiebant, irruptiones in do-
 mos agebant, noctu Christiani deponebant, ob-
 signabant domus, et fratres eorũ qui sunt de Ec-
 clesiastico ordine, pro fratribus pericula susti-
 nebant. Et paulo post: Adhęc autẽ ex Aegypto
 atq; Libyis in exiliũ deportauerunt Pontifices,
 Ammonium, Noniũ, Caium & cæteros, quos
 tam acerbè per itinera pepulerunt, ut quidã eo-
 rum in ipsis itineribus, alij uerò per exilia mo-
 rerenẽ. Occiderunt autẽ Pontifices plus quàm
 triginta, habentes studium ex decreto Achabi,
 ut si possent, tollerent funditũs ueritatem. Et a-
 libi Theodoretus, de calamitate eiusdem tem-
 poris sic loquit: Vsq; eò nequitia peruenit Ari-
 anorum, ut portas clauderent, & circa sepul-
 chorũ loca ueluti demones excubarent, prohi-
 bentes ut ne quis fidelium, à Christo dilectorũ,
 humaretur. Vbi tãta erat Ecclesiae perturbatio,
 quum omnia diuina iura silerent, æquitas nul-
 la, nullus Dei timor, nullus cultus, nulla reuerẽ-
 tia adesset, exularent boni, pessimiq; quicq; pla-
 cidissimo

cidissimo ocio fruerentur: quum pontifices in
 carceres includerentur, uel ad necem traheren-
 tur, quum omnes & magistratus et principes uiri
 Ecclesiam uellent tum extinctam: quid auxili-
 poterat Ecclesia dare, quo pacto populū pote-
 rat edocere? Misisset doctores, at hi proficisci nō
 auli fuissent, aut profectos magistratus nō exce-
 pisset. Excepisset autē: imō uerberasset, in crucē
 sustulisset, crudeliter et nefariē occidisset. Quid
 igitur hīc populus faciat? unde benē beateq; ui-
 uendi legem accipiet? unde mādata Dei doce-
 bitur? Ecclesia nec doctores mittit: nec si maxi-
 mē uelit, possit: domi nulli sunt. Quid ergo fa-
 ciet? quō se uertet? negliget ne cultum Dei, id
 est, salutem suam, an per se tentabit uoluntariē
 Dei ex libris sacris elicere ac intelligere? Eruct
 scilicet, aut saltem ab eruēdo nullum debet in-
 termittere tempus: ponat operam diligentem,
 quantum uis imperitus, ignarus, rudis, idiotaq;
 sit: uocet Deum in auxiliū, aderit uocatus De-
 us: quandoquidem promisit nemini se defutū-
 rum. Populus est ouile Dei: nullam uult ouem
 de grege suo uel errare, uel perire. quod illustri
 illo centū ouium exemplo, apud historiā Euan-
 gelicā, nos edocuit Christus. Nulli sunt pasto-
 res qui gregem diuinum pascant: probet popu-
 lus, & conetur precibus Deum propitium ad
 se uocare, qui se ducat in pascua: interpellatus
 faciet, quod nobis singulis et uniuersis per Eze-
 chielem

chielē promisit: Ecce ego ipse requirā oues me
 as: inuisam eas, sicut pastor inuisit gregē suum,
 in medio ouium suarum dissipatum. Quòd si
 Deus oues suas ducit ad pascua, satiabunt om-
 nes omni uerbo coelesti, nec iam pastorum in-
 digebunt opera: uidelicet pro pastore humano
 habebūt Diuinū, eumq; qui pastorū omnium
 sit princeps, ac solus princeps. Oues sunt uni-
 uersus populus, sed nō ratione carent: & ex his
 ouibus non rarò pastores qui ouili præsint, cō-
 stituūtur. Itaq; singulis Christianis hominibus,
 sobriè piè in sacris literis uersantibus, nō deerit
 diuina prouidentia, quæ eos de omnibus, ad sa-
 lutem suam pertinentibus, doceat. Id enim fa-
 cturum se nobis per Iohelem recepit Deus, his
 uerbis: Effundam de spiritu meo super omnē
 carnem, & erūt omnes diuinitūs docti. Recla-
 mabis tamen Bononia, atq; contendes, nos no-
 stra ipsorum industria solū, id est, sine docto-
 rum opera, sacras literas non posse intelligere.
 De hoc iam tibi satisfactum esse arbitrabar: &
 si his quæ à me dicta sunt attendere uoluisses,
 cognouisses profectò, nihil ad istius rei proba-
 tionem desiderari. Verū quoniā pertinacia
 tua & uincendi studio ductus, nullæ probatio-
 nes tibi satisfaciunt, id mihi de integro proban-
 dum censeo. Vtrum igitur existimas, ab homi-
 ne simplici, pio, religioso melius posse theolo-
 giam intelligi, si laborem per se quisq; in sacra-
 rum lite-

rum literarū doctrīna ponat, an ab eo qui nulla pietate, nullo Dei timore, nulla hominum charitate teneatur? Ab homine pio dices, fat scio, scripturam sacrā multo melius posse intelligi. Dabis etiam & illud: Deū, ut ipsemet dicit, nemini se usq; ad uniuersitatis interitum defuturum. Nunc abs te peto, utrum populus per te met ipsum scripturam sacram possit intelligere, nec ne possit? Si posse respondeas, habeo quod antea negabas: sin minus, uidentur principia illa, de quibus antea conueniebamus, abs te negari, atq; tolli. Huc adde detestandam execrationem, quæ tuam istam responsionē sequitur, Deum nolle propitium esse inuocantibus se, nec stare promissis. Oportet enim alterutrum fatearis, uel te totius populi animū habere peraspectum (quod esse non potest, quoniam solus Deus nouit corda hominum) uel certò te scire Deum nolle hominibus auxiliū petentibus suppetias ferre: quo turpius nihil excogitari potest. Ego de sacrorum librorū sententiā hoc possum constanter affirmare, pios homines tametsi rudes et imperitos, posse arcana Dei mysteria facillimè intelligere. Etenim si, quemadmodum scriptum est, in peruersum animū non ponit sedem sapiētia: quicumq; pietatem colet, is diuinam sapiētiam consequetur. Qui enim sine simplicitate, sineq; uero Dei timore ad literarum diuinarum se studium cōfert, is non sapiens,

piens, sed stultus iudicabitur: imò uerò nihil de
 diuinis literis intelligi ab eo posse putandū est.
 De quibus inquit Paulus ad Romanos: Eua-
 nuerunt in cogitationibus suis, & obtenebra-
 tum est cor eorum: dicentes se esse sapientes,
 stulti facti sunt. Quod quū uideret Bernardus
 acurè & piè his uerbis loquutus est: Quo spiri-
 tu scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi deside-
 rant, ipso etiam intelligendæ sunt. Nunquam
 ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ
 intentionis in lectione eius, & studio assiduæ
 meditationis, spiritum eius biberis. Nunquam
 intelliges Dauid, donec ipsa experientia, ipsos
 Psalmorum affectus indueris. Sicq; de reliquis.
 Vide ergo de sententia Pauli & Bernardi, qui-
 nam illi sint, quibus aperiat Deus sacrarum lite-
 rarum implicatam cognitionem: nō uni uide-
 licet Theologorum generi (quos uulgari nomi-
 ne sub monachorum & doctorum sacrarum li-
 terarum uocabulo comprehendimus) sed om-
 nibus in uniuersum hominibus, modò studiū
 in eo ponant, & in eo sobriè, moderatè uersentur.
 Quid ergo tu: dices ne diuina uolumina à
 populo sua ipsius industria, Deo adiuuante, in-
 telligi non posse? non ne istud sit iniuriam di-
 uinitati facere: nam aut detrahis, ut antea dice-
 bam, omnem promissionibus Dei fidem & au-
 thoritatem, quòd, quam ille fidem omnibus si-
 ne discrimine dedit, eā tu ad pauculos quosdā
 contrahas:

contrahas: aut audes polliceri, quod temerita-
 tis summæ est, populum non posse ex animo et
 piè petere auxilium diuinum, ad Bibliorum co-
 gnitionem. Non potest, inquis, populus per se
 diuinā scripturā intelligere. Quid ego audio:
 etiam ne pergis execrari: num nam sacras lite-
 ras legisti unquam? Qui enim eas legerit, ista di-
 cere nequaquam ausit. Quid enim sibi uult il-
 lud Christi apud Matthæum: Quicquid prec-
 bus fidenter petieritis, obtinebitis. & apud Io-
 annem: Hoc uobis etiam atq; etiam confirmo,
 quæcunq; à patre per meum nomen postulaue-
 ritis, daturum esse uobis. & paulò post: Petite,
 & dabitur uobis: quærite, et inuenietis: pulsate,
 & uobis aperietur. Quid referā alias Dei pro-
 missiones, quibus se nobis astrinxit ita, ut de eo
 (humano more loquor) nisi populo intelligen-
 tiam sacrarum literarum petenti daret, merito
 & iure cōqueri possimus: Audi itē uerba Chri-
 sti: Si quis sitis, ueniat ad me, & bibat: &, Veni-
 entem ad me, non eiciam foras. Nescis fortas-
 se has esse diuinas promissiones: an dubitas, u-
 trū Deus populi clamore interpellatus, ex pro-
 misso ei sit affuturus? Quicumque non credide-
 rit firmiter atq; constanter, Deum facturum es-
 se omnia, quæcunq; nobis uel per Vates, uel Fi-
 lium suum, uel Apostolos promiserit, menda-
 cij eum uidetur insimulare. Dubitat enim ac
 nescit, num Deus uerax sit, nec ne: quo turpius
 & per-

& perniciosius esse nihil potest. Deficit me di-
 gnum tanto flagitio nomen, nec scio quo uoca-
 bulo tantum facinus iuste queam nominare.
 Quanto sapientius ac uerius de hac re D. Hiero-
 nymus iudicabat, qui in ea erat sententia, ut
 diceret, populum aliquando per semetipsum sa-
 cras literas intellecturum fuisse. Cuius uerba
 non possum nō ex memoria recitare. sunt au-
 tem desumpta ex eius in Nahumū uatem cō-
 mentario, quæ sic habent: Semper Diaboli stu-
 dium est, uigilantes animas consopire. Deniq; cc
 & in passione Domini Apostolorū oculos gra- cc
 ui sopore premit, quos Saluator suscitans ait: cc
 Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Et cc
 rursum: Quod uobis dico, omnibus dico, uigi- cc
 late. Et quia non cessat consopire uigilantes, cc
 quoscunq; ille deceperit, & quasi suauis & per- cc
 nicioso carmine Sirenarū illexerit ad dormiē- cc
 dū, excitat sermo diuinus, et dicit: Surge q dor- cc
 mis, et eleuare, et illuminabit te Christus. In ad- cc
 uēu ergo Christi, & sermonis Dei, et doctrine cc
 Ecclesiasticæ, & cōsummationis Niniue speci- cc
 osissime quondā meretricis, eleuabit et prophe- cc
 tabit populus q sub magistris antē fuerat cōso- cc
 pitus, & ibit ad mōtes scripturarū, ibiq; inueni- cc
 et mōtes Moysen & Iesum filiū Naue, montes cc
 prophetas: mōtes noui Testamēti, Apostolos cc
 et Euāgelistas. Et quū ad tales mōtes cōfugerit, cc
 et huiusmodi montū fuerit lectione uersatus, si cc

» non inuenerit qui eā doceat (messis enim ma-
 » ta, operarij autem pauci) tunc & illius studium
 » comprobabitur, quia confugerit ad montes, &
 » magistrorum delicia coarguetur. O præclarum
 Hieronymum. O ingenium uiri admirabile.
 O doctrinam sanam, & uerè Apostolicam. Ita
 dicas nimirū id quod res sese habet, populū per
 beneficium Dei posse sua ipsius industria ac
 labore, diuinorum librorū sententiā cōsequi.
 Quapropter si Ecclesiasticorum concionatorū
 magna paucitas est, si Ecclesia non omnibus
 cis interest, si pontifices neq; semper suo utuntur
 officio, nec, tametsi uelint, possunt: si hominum
 nunquam deest ad pia uota Deus, si pia est di-
 uinarum scripturarum ad salutem cognitio, si
 Deus uerax est, præstatq; promissa, si Hierony-
 mo sapientissimo ac religiosissimo uiro creden-
 dum est: nemo dubitabit, quin infinita populū
 multitudo, possit per se sacram scripturā intel-
 ligere. Iam uerò curam & cogitationē ad De-
 coelestem doctrinam uulgaribus linguis cōfer-
 ptam: plures etiam applicabūtur, id tu negas, ego
 aio. Neq; id mihi leui de caussa uideat, sed quia
 fores, ut ita dicam, sacrarum literarū clausæ pro-
 pter peregrinam linguam, qua illæ continentur,
 ingressum aditumq; dant his modò, qui quum
 linguarum (per linguas scis quid uelim) cogni-
 tione tanquam clauē accedant. Habebunt autē
 clauēs omnes ad unū, si sacra scriptura in uulgari
 sermo

sermonem transferatur: ob eamque causam plures in earum conclauias ingredientur, qui ne limen quidem subibant. Patebunt denique omnibus: sic fiet, ut plures se ad earum studium conferant. Nemo enim eò accedat, quò ingredi se posse desperet. Deinde hac etiã de causa à pluribus ediscentur, quòd id cuique in precio est, quòd intelligit: & quòd intelligit, id quisque in delicijs habet, colit, ueneratur. Nam quòd non intelligis, in eo, ut discas, laborem ponas necessè est: labor molestiam creat, molestiam nemo non fugit et detestatur: ob eamque rem quòd nò intelligi facile potest, humanus animus aspernat. Sed quàm nam ego argumentationẽ hoc loco grauiorem aduersus te afferre possim, quàm si te hoc incommodo urgeam, ut repugnantium assertionum approbationumque conuincaris? Certè pugnãtia loqueris, quando quidem hinc in ea es sententiã, ut credas sacra scripturam patria cuiusque nationis oratione loquentẽ, minus amatum iri hoc ipso, quòd difficultate sua auditorum animos abs se alienabit. In secunda autem disputationis tuæ parte contra sentis, statuisque ac iudicas, quòd scriptura in uulgares linguas uersa, facilius intelligetur, propterea contemptum iri uilissimè. Vide quàm parum tibi consentias, uide quantum tibi ipsi repugnes. Certè si facilior ad intelligendum sacra scriptura propter uulgaris linguæ peritiã sit, plures

ad serapiet, plures amore sui detinebit. Quod autem facilius & apertius fiet, nemo sanæ mentis dubitabit, quoniam nemini ulla quam nativa lingua notior est: & quod patrio sermone legas (ut id antea ostēdi) facillimè intelligas. Sed reclamationes tuas, ac ita dicis: Difficultas & obscuritas non in uerbis, sed in rebus inest: quæ fuerit res sua natura difficilis, hæc ut cunctis his uel illis uerbis tractetur, res eadem manet, eadem ergo difficultas. Quid argutaris Boñonia? difficultatem solum in rebus ponis? quis istud dicat, nisi is, qui nulla librorum lectione animum unquam excoluerit? Vnde enim tot auctores, et quidem præstantes, qui & olim & hodie etiam extant, quorum opera in solis Bibliorum uerbis perfectè intelligendis commendatur? Nunquã ne tibi in euoluendo libros, quos multos legisti, obtigit, ut rem quam perfectè teneres, in quibusdam locis, uerba tamen nõ intelligeres? Vnde tot uarietates, tot dissidia in sacrarum literarum explicatione, nisi è uerborum ignorata natura, uel significatione, proprietate? Non est quoddam exemplum requiras, quum nulla sit chara auctorum eorum, qui in sacram scripturam commentarios ediderunt, quin locupletissimũ mihi hac de re testimoniũ reddat. Origenes, Augustinus, Irenæus, alijq; multi, quoties reprehenduntur, et quidẽ merito ac iure, à Hieronymo, quod propter linguæ Hebrææ ignorantiam, multis

multis in locis cœdè turpiterq; peccent? Hanc intellexerunt uerborum difficultatem, grauisi-
mi ac doctissimi superioris ætatis uiri, qui ut
scelicius in Theologia uersarentur, exemplaria
multa diuersarum translationū Fœderis & no-
ui et ueteris sibi compararunt, quibus uerborū
difficultatem multo facilius uincere potuerūt.
In hoc genere omnium maximè excellit Hie-
ronymus, cui inter Latinos hac de causa pri-
mæ deferunt, quòd homo & Hebræis & Gre-
cis & Latinis peritus, ut historicum Bibliorū
sensum rectè intelligebat, sic etiam rectè inter-
pretabatur. Rabbinorum industria, ac interpre-
tatio Grammaticæ sententiæ, id est, historicæ
(quem sensum literæ uocāt) tantū fit, ut sine du-
bio & Græcos & Latinos interpretes longè
uincant. Nimirū homines Hebrææ linguę pe-
ritissimi, nullam in uerbis difficultatem habue-
runt. Neq; id solū in sacris libris explicandis
euenit, sed in alijs etiam artibus. Nam Platonis
& Aristotelis sententiam, animū, mentem, asse-
quuti sunt multo melius ij, qui Græcis sunt lite-
ris eruditi, quàm qui ij sdem caruerūt. Hinc fit,
ut Latinos omnes commentarios Latinorum,
Græci auctores longissimè superarint. Quis es-
nim melius Plotino, aut Chalcidīo, aut Procu-
lo, sententiam Platonis aperuit? Quis Aristo-
telis tenebrosam obscuritatē melius, quàm Phi-
loponus, Simplicius, Ammonius, explicuit?

Videlicet quòd, quum Græcas literas perfectè
 nossent, de uerbis parum solliciti (quis enim in
 eo quod intelligat dubitet?) ad rerum cogniti-
 onem omnem curam cogitationemq; transfer-
 rent: ac propterea omnium consensu, præstan-
 tissimorum interpretū nomen meruerunt. Nū
 quascunq; tu res animo cōprehensas perfectè
 tenes, eas si in aliorum scriptis reperiās, proti-
 nus intelligis? minimè. Nam id optimo cuiq;
 euenit non rarò, quod tibi contigit sæpe (nisi
 fallor) & contingat etiam necesse est. Itaq; om-
 nium rerum quæ oratione explicātur, duplex
 difficultas esse solet: altera uerborum, altera ac
 præcipua rerum uerbis subiectarum. Quapro-
 pter si (ut aliàs dictum est, quod nemo negat)
 patrius sermo cuiq; est notissimus, diuinæ lite-
 ræ in plebeium sermonem uersæ, nō in uerbis,
 sed in rebus facessent nobis negotium. Quid
 igitur facilius? quod una ne, an quod duabus
 difficultatibus teneatur? nimirū quod duabus.
 Ergo scriptura sacra in uernaculam linguā ex-
 pressa, facilior erit intellectu. Quòd si facilior,
 dubitare nemo potest, quin multo citius addi-
 sci possit. Nam ut difficilimū quidq; est, ita plu-
 rimum temporis ei impendi & solet, & debet:
 in eo autem in quo minus temporis ponendū
 sit, id citius percipias: atq; ita fit, ut diuina philo-
 sophia in patrium sermonē interpretata, citius
 addiscatur. Nec inficias eo, diligentiam, operā,
 induc

industriam, studium potius quod quis in quadam re ponat, quam sermonis peritiam quo ea cōtinetur, spectari oportere. Sed illud, potius, quod dixi, rectē considera atq; perpende: nam ita intelliges, et genus etiam orationis suā creare difficultatem, facereq; rem uel difficiliorem interdum, uel apertiorē. Etenim si duo pari ingenio, pari labore, pari industria, per idem spacium temporis, in re aliqua operam ponant, quorum alter altero peritior sit, in eius linguæ elegātia & proprietate, qua res illa quam uterque discit, tractatur, nemo negabit: quin is qui maiorē habet linguæ peritiā, multo citius eam sit percepturus. Cōstat igitur, diuinas literas in uulgarem sermonē interpretatas, citius intellectū iri. Vbi sunt tuę rationes: ubi argumentationes: ubi firmæ tuę scilicet cōplexiones: quibus concludebas, neq; plures in sacris libris uulgari oratione loquentibus operā posituros, nec si ponant, aut facilius, aut citius intellecturos: Nugę erāt. nenię erāt, ac somnia potius: ideoq; abierūt, discesserūt, eruperūt, euanuerūt. Neq; tu his argutis cōtentus ab argutādo desistis, sed pergis etiā. Non, inquis, uertēda est in uulgares linguas sacra scriptura, ut ornatior et cultior sit: quoniā omniū consensu Hebræa, Græca, Latina lingua, primas inter ceteras obtinēt. Istud tibi non omnes concedent, quoniā de eo adhuc sub iudice lis est: sed quibus tu rebus ornatum,

cultū, elegantiamq̄ metiris: an ornamentis: cuius generis illa sunt, uerborum ne, an sententiarum? Si sententiarū, omnes linguæ in eo sunt pares, quoniã ad sententiarum figuras cogitata mentis faciunt, & nō uerba: sunt enim hæc ornamenta mentis, uel sententiæ (unde nomē habent) & non alicuius linguæ peculiare. Si uerborū; in copïa ne illa consistunt, an in cōcinnitate: si in copïa dicas, nihil Hebræa lingua incultius, nihil inornatius: quando quidem tanta uerborum penuria laborat, ut tertio quoq̄ uerbo loquentē oratio deficiat. Hoc Rabbini intellexerunt: uel si non intellexerunt (faciunt enim linguā suam omniū locupletissimā) re ipsa ita esse cōprobarunt, quū in aperiendis mentis suæ sensis, à barbaris & peregrinis omniū prope modū nationū linguis uerba mutuant. Reperias enim in eorū scriptis libris sexcēta uocabula Latina, sexcenta Græca, sexcenta Hispanica, Gallica, Italica, Germanica, Aphricana, Asiatica. De cōcinnitate & suauitate dictionis, quid attinet dicere: præsertim quū multis, & doctis, & singulari ingenio uiris, hoc nomine Hebræa lingua sordet, quòd horrido sonitu uastò que percrepare uideat. Quid, linguis Græcæ & Latinæ, reliquæ ne uulgares omnes concedūt: sic enim orationē instituisti, ut ceteras omnes hisce duabus, atq̄ etiã Hebræa inferiores arbitraberis. Nū omnes nationes peragrasti: num omnes

omnes omnium gentium linguas nosti? aliter enim qui posses ea de re facere iudicium? Sunt inter vulgares linguas multæ, quæ tantum abest ut de copia & suauitate uerborum quicquam istis tuis linguis, & fortasse quoque meis concedant, ut uel sibi solis primas deferrî uelint. Interfui ego aliquando multorum sermonibus, qui contenderent, Germanicam linguam superiorem tanta abundare uerborum copia & ubertate, ut nemini sit concessura. Idem contendunt Itali, idem Hispani, idem Galli, aliæque nationes, de his quæ in Europæ numerum reponuntur. De suauitate autem orationis, nonne cum Galli, tum præcipue Itali gloriantur? Hi enim à se & Latinam & Græcam linguam suauiloquentia, sermonisque dulcitudine superatos esse, merito ac iure arbitratur. Ac tamen si non essent hæc in dubio, sed constaret, ornatu, copia, elegantia, suauitate uerborum, & singulorum & coniuictorum, linguas Hebræam, Græcam, Latinam cæteris omnibus antecellere: fortassis non omnino male iudicarent, quicumque uerti in vulgares linguas diuinam scripturam debere putarent hoc nomine, ut ornatiùs & elegantius loqueretur. Nam si, ut à me antea ostensum est, de multorum sententia Hebræa lingua horrida est, uastæque & hiulcè sonans ac planè barbarat; concinnior profectò esset atque ornatiùs scriptura sacra in certarum

quarundā nationū patriū sermonem conuersā.
 Adde q̄ Septuaginta illi, qui uetus Fœdus de
 Hebræo Græcè interpretati sunt, & Apostoli
 itē sic Græcis literis scripserunt, ut nusquā He-
 brææ linguæ uestigia in Græco relinquerent.
 Homines enim Hebræi dū Græcè loquerētur,
 normas dicēdi Græcas reliquerūt, sumpsērūtq̄
 suas, id est, Hebræas. Hinc factū est, ut nouum
 Fœdus Hebraïsmis ubiq̄ refertum sit: in quo
 Græcæ linguæ funditus ornāmētum perit, atq̄
 proprietas. An nō si in propriū cuiusq̄ natio-
 nis sermonē fideliter & bene uertat̄, elegantius
 scriptura sacra loqueretur? Quid, de Latina ista
 translatione, quæ D. Hieronymi titulo circun-
 fertur, quid dicā? an nō & hæc balbutit solœcis-
 mos, barbarissimos? an non fœdè turpiterq̄ lo-
 quitur? quid si uertatur in communē populi ser-
 monē, an non elegantius & purius loquetur?
 Hæc à me ideo dicta sunt, non ut de antiqua
 possessione singulariq̄ gradu dignitatis, He-
 bræam, Græcam, Latinam linguam deijcerem:
 sed ut intelligas, quæ à te in hanc partem dice-
 bantur, non esse tam uera atque cōcessa, quàm
 à te prædicabantur. Ego enim non leuibus istis
 rationibus utilitatem uertendorum Bibliorum
 metior, sed alijs multo grauioribus: quorum
 bonam partem ex me iam audisti, & deinceps
 audies. Omnibus linguis uulgaribus sua est co-
 pia, suus ornatus, sua elegantia, suus lepos: ob
 eamq̄

eamque rem si fideliter, nec sordidis uerbis scriptura interpretetur, non poterit non culta & ornata apparere. Satis ornata scriptura fuerit, si eam multi legant, multum, & multa cura: atque ita legant, ut & sibi & Reipub. profint, quantum in uertendo uelim, ut ne emendatæ orationis ac elegantis cura abijciatur. Quare non moror, elegantior necne sit scriptura in uulgi linguam uersa, modo & solcecismos & barbarissimos fugiat, & ea lingua contineatur, qua plurimum humani generis societati prodesse possit. Quid ad ea de commendatione, quid ad ea de eiusdem scripturæ utilitate in Rempub. tibi respondebo? Certè huic qui attentè audierit, quæcunque hæcenus disputauit, superuacanea uidebitur omnis respõsio: quum ex nullo non loco eorum quæ proposui, erui facillimè possit, qualia sint ista quæ à te proponebantur. Nam quum id cuique commendatum esse soleat, quod facile est ad intelligendum, eaque de causa cito addiscatur, scriptura sacra non poterit non esse commendatior. Erit enim, ut supra probatum est, intellectu facilis, citoque discetur. Iam cum multis conuictum sit, atque ostensum, & ad discendum & docendum diuinas literas in patrium sermonem uersas profuturas esse, quod neque temporis, neque laboris, neque sumptuum in addiscendo tanta iactura fiet: quod item melius scriptura sacra intelligetur: nemini

desum

dubium esse potest, quin usibus Reipub. maxime inserviet. Quæ duæ causæ ad superiores accedunt, quamobrem uerti debere putem. Sed quid ego moram tãdiu in his facio, quum uno argumento, & hoc omnium præstantissimo, firmissimoq; & opinionem tuam possim longè lateq; profligare, & meam sententiam firmiter stabilire? quod nam illud est? Illud uis
 „ delictet quod ad Iosuaam dixit Deus: Non rece-
 „ dat uolumen legis huius ab ore tuo: sed medi-
 „ taberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias
 „ & facias omnia quæ scripta sunt in eo. Quem
 ego locum sic intelligo, ut, mea sententia, quod
 uni Iosuaæ præceptum est, id nobis omnibus
 uniuersis & singulis præceptum putem. Con-
 trã tu iudicas, contendisq; aut ex hoc loco col-
 ligi, solis his qui de Pontificio Ecclesiasticoue
 ordine sunt, ut sacram scripturam legant, præ-
 ceptum esse: aut præceptum in eo nullum esse,
 sed, quod tibi multò probabilius uidetur, con-
 silium. Non omnibus præceptum est, sed Pon-
 tificibus, sed Ecclesiæ ministris. Quo argumen-
 to, quibus rationibus in istam sententiam ad-
 duceris? Nimirum Iosuaæ illud dixit Deus, uni
 dixit, non plebeijs, non rudis, non puero, non
 sceminae: sed uni inquam, Iosuaæ, qui in Mosis
 locum subierat, qui populo præerat, qui omnia
 gubernabat. Deus bone, quid ego audio? quis
 ista ferat? aut quis uel mediocriter in sacris li-
 bris

bris uersatus, ista aufit dicere? Tollitur enim
 funditus istis uerbis uniuersa religio Christiana:
 quandoquidem nihil ferè certi, nihil firmi
 intelligi poterit, omnia ambigua erunt, uel potius
 omnis disciplina cœlestis corruet, si ad istum
 modum omnia examinentur, Christus enim
 cum discipulos ad confessionem Euangelij animaret,
 sic ait: Ne formidate eos qui corpus
 interficiunt, sed animam interficere nequeunt.
 & mox: Ne formidaueritis igitur. Quid ego,
 quid ceteri omnes, qui neque de ordine aut
 Pontificio aut Ecclesiastico sumus, quid inquam
 Bononiae putabimûsne, quod discipulis
 Christus dicit, id etiam omnibus omnis ordinis
 Christianis hominibus dictum esse, an nō?
 De tua sententia, & ex tuo ore respondebo:
 Non omnibus, non plebeijs, non pueris, non
 sceminis, non cuiuis de plebe, sed solis Aposto-
 lis præceptum datum esse. Ergo soli Pontifices
 aut Ecclesiastici homines (per Apostolos enim
 hi omnes intelliguntur) Euangelium profiteri
 firmiter constanterq; debent, reliqui non item.
 Christi præceptum illud est: Si quis me uult
 sequi, renunciet ipse sibi, tollatq; crucem suam,
 & me sequatur. Apostolis id dixit Christus,
 non alijs: ergo soli Ecclesiastici id præstare de-
 bent, scilicet. Iesus quum conscenso monte in
 conspectu Petri, Iacobi, & Ioannis transfigu-
 raretur, uox patris ex nube extitit: Hic est fi-
 lius

20 lius meus charissimus, qui mihi acceptus est:
 21 ipsum audite. Apostolis uidelicet dictum est,
 Ipsum audite, & non reliquis: ergo Ecclesiastici
 solum homines debent Christo morem gerere
 ac obedire, neque cæteri itidem. Apostolis
 22 Christus tale promissum fecit: Hoc uobis con-
 23 firmo, si tantum fidei habueritis, quantum est
 24 granum sinapis, si dixeritis huic monti, Migra-
 25 istinc illuc, migrabit: nihilq; non poteritis. Scilicet hoc facere soli poterunt hi qui sunt de Ec-
 clesiastico numero, & non alijs: quoniam sacer-
 dotibus illud promissum & non alijs datum
 est, quandoquidem cum Apostolis Christus
 26 tum loquebatur. Iesus quum epularetur cum
 27 discipulis, panem cepit, actisq; laudibus, fregit,
 28 deditq; discipulis suis, & : Accipite, inquit, co-
 29 medite: hoc est corpus meum. Cui dixit, Acci-
 pite & comedite: num omnibus? num pueris?
 num foeminis? num cuius de plebe? non, sed
 Apostolis, id est, Ecclesiasticis: soli ergo Ecclē-
 stici cœnam Domini celebrent, sumant: cæ-
 teris non concedatur. Quid hoc aliud est Bo-
 nonia, quàm religionem extrahere radicibus, si
 illa in Iosua locum interpretatio concedatur.
 Vides quanta incommoda & qualia tuam in-
 terpretationem consequantur. Itaque non est
 ille germanus eius loci sensus, sed alius quaer-
 endus est. Quòd si ad Ecclesiasticos uiros il-
 lud præceptum datum sit, pessimè agunt om-
 nes

nes quicumque de Ecclesiastico ordine sunt, nec scripturam sacram unquam attigerunt. Sed omnium pessimè faciunt Principes uiri, & Reges, qui Pontificatus functionem & munus his mandant, qui nec scripturam sacram euoluerunt, nec euoluere uolunt, nec si maximè uelint, possint. Hæc tu quum uideres, dixisti, libentissimè te mihi daturum atque concessurum (nimium quod negare non potes) omnibus in uniuersum, quod unius Iosue dictum fuerat, dictum etiam fuisse: sed illud in consilijs, non in præceptis haberi oportere. Consilium esse uis? consilium esse dico, atque concedo. Sed heus tu, qui in aula Cæsaris diu multumque uersatus es, gesserisque negocia non parua: num ignoras quæ à Cæsare consilia dantur, illa in mandatorum ac præceptorum potius numerum referri solere? Quid ergo dicemus, nisi quæ consilia à Deo nobis dantur, ea esse nobis in mandatis habenda? Age, sit consilium, quoniam ita uis: cuius est consilium? Dei. Ergo Deus consulit nobis, ut scripturam sacram legamus. Quis contra præcipit, ut etiam non omnes attingamus? homines. Confer igitur ista duo inter se consilia, auctores compara, uideque diligenter utrò uelis declinare, ad Dei, ne, an hominum consilium. Si ad hominum, ergo homini plus fidei habes: aut meliora, aut salubriora, quam Deus consulit. Hoc quicumque fecerit.

fecerit, quid aliud quàm de Dei dignitate, excellentia, maiestate, diuinitate detrahat. Platonis, Aristotelis, aliorumque philosophorum consilia in tanto sunt apud homines precio & auctoritate, ut quicquid ab eis dictum sit, id nobis pro certo & indubitato habeatur, & e Repub. esse censeatur: quid, Dei consilium ita contemnetur, ut multo minoris, quàm philosophorum placita fuerit: Deus consulit: quis meliora consilia dabit: Deo sic uidetur: quis meliora poterit uidere? Neque concedam tibi, id quod antea disputationis gratia dederam, uerba illa Dei ad Iosuum pro consilio, nec pro precepto haberi oportere: cum quod rationes quas ad id conuincendum attulisti, inanes erant & futile: tum quod multas ego habeo causas, cur preceptum esse, non dicam, putem, sed certissimò credam. Rationes tuas inspice. Consilium est illud Dei ad Iosuum, quod dixerit, Non recedet ab ore tuo: & In eo meditaberis die ac nocte. Hinc tu inferebas, quoniam fieri non potest, ut lex Dei semper in ore habeatur, semperque & noctu & interdium de ea meditemur (quod sermone Dei ad Iosuum continetur) propterea consilium tibi uideri. Non intelligis (quod pace tua dixerim) formas dicendi & consuetudinem sacrarum literarum, in quibus locis hæc uerba, Semper, Vbiq; Totum, reperiuntur, Nam non significant continenter, sine ulla inter-

intermissione uel agendi, uel meditandi, aliquid fieri oportere (neque enim in dormiendo, ubi omnis curarum uacuitas est: neque in administratione Reipublicæ, aut rei familiaris, quam Deus diligenter haberi uult, semper in ore Deum habere possumus, uel cogitare) sed ut multum, & multa de eo cogitemus cum alijs, tum precipue, quum aut negotijs honestis uacui erimus, aut ubi res postulabit regulam diuinam, ad cuius formam geri debeat: aut, ut quemadmodum alijs negocijs, ita etiam diuinis rebus certe quædã horæ constitutæ impendantur. Christus enim præcepit, Deum ex toto pectore, ex toto animo, ex tota mente esse diligendum: quod non hoc sibi uult, ut nihil aliud quam de Deo cogitemus, sed ut multum & assidue, ac cum pietate de eo meditemur. Apostolis item & uiduæ & iudicis exemplo Christus ostendit, semper orandum esse, nec defatigari oportere. Quid nos hinc dicemus? nunquã ne desistendum nobis esse à precibus? Semper dixit ille orandum esse: ergo de die, & de nocte, omniq; temporis momento: alioqui enim non semper orandum esset. Quid uocabulo, Semper, intelligis Bononia, nisi id quod ego antea docui? Quapropter quas adduxisti rationes, uanas & futilitatis plenas necesse est fatearis. Rationes meas expectas, quamobrem in mandatis illud Dei ad losuram poni debere credam, En, ra-

o riones

tiones adducā, non illas quidem de meo, sed ex
 aliorum locorū inter se collatione desumptas:
 qua interpretādi ratione nulla uerior, neq; cer-
 tior, neq; sincerior esse potest. Primus locus ex
 Deuteronomio adducetur, in quo Moses po-
 pulū Israelitarū uniuersum his uerbis alloquitur.
 » Narrabis filio tuo in die illo, dicens: Hoc est
 » quod fecit mihi Dominus, quādo egressus sum
 » de Aegypto. Et erit quasi signū in manu tua, et
 » quasi monimentum ante oculos tuos, & ut lex
 » Domini semper sit in ore tuo. Ex hoc Mose ad
 populū sermone duo cōtra te inferūtur: alterū,
 precipi à Deo, ut omnes legē suā habeant: alte-
 rum, Semper, quę particulā uidebatur tibi rem-
 quandā quæ in nostra nō esset potestate præce-
 pere, à Mose poni intelligiq; debere in ea sen-
 tētia, quam antea explicaui. Iussit idem Moses
 » populo Israelitico in hunc modū: Leges uerba
 » legis huius corā omni Israele, audientibus eis,
 » & in unū omni populo congregato, tam uiris
 » q̄ foeminis, paruulis & aduenis qui sunt intra
 » portas tuas. Quid Petrus? quū sic loqueretur:
 » Parati semper ad satisfactionem omni poscētū
 » uos rationē, de ea quæ in uobis est fide & spe:
 quid aliud dicere uolebat, q̄ ut omnes scripturę
 rā sacrā legerent, ut ex ea instructi essent ad re-
 spondendum omnibus ad ea quæ de religione
 Christiana essent interrogati? Aliter enim qui
 possent respōdere? Aut omnes præcepto Petri
 obedire

obedire debent, aut secus. Si debent, ergo præceptum diuinū est, ut sacras literas omnes omnis ordinis & ætatis homines legant: quod facere non poterunt, nisi ea lingua eas legant, quam intelligere possint. In quam sententiam ad Timotheum dixit Paulus, Omnis scriptura diuinicus tradita, utilis est, ad docendū, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in iustitia, ut perfectē sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Idem Paulus apertissime alio ad Colossenses loco declarauit, ab omnibus legendos esse sacros libros, cum sic diceret: Verbum Christi habitet in uobis abundanter. Quod qui possit habitare non uideo, nisi sepe & multum scriptura sacra legatur: in quo Pauli decreto & uiri, & fœminæ, & pueri, & adulti, & serui, & liberi continentur: quoniam hos omnes nominatim eo loco appellat. Quare apertissime constat, cum ex Dei ad Iosua uerbis, tum ex alijs, & Mosis, & Pauli, & Petri testimonijs, præceptum humano hominum generi à Deo esse, ut sacras literas accuratè & diligenter, omnes mortales legant. Quæ quum ita sint, siuge ad punctum temporis nunc mecum, Siculis tuis fasciculum quendam literarum à Cæsare nostro reddi, quibus huiusmodi præcepta & decreta dentur, ut ea exequi omnes omnis ætatis, sexus, atque ordinis Siculi debeant, idēq; ea lege, ut eos qui mandata Cæ-

faris fecerint, maxima utilitas summus que ho-
 noris gradus maneat: & eos contra, qui man-
 data non fecerint, certissima & maxima cala-
 mitas maneat, atque adeo interitus sempiternus.
 Finge item has easdem Cæsaris literas & Ger-
 manicè, aut quavis alia lingua Siculis ignota
 conscriptas, & id etiam in mandatis esse, ut eas
 omnes omnium generum, atatum, mulieres,
 uiri, summi, medi, infimi legant: & finge has
 ad Proregis & Senatus primarij Siculorum
 manus peruenisse, qui cum eas legerent, mentem
 animumque Cæsaris certissime cognorint.
 quid hic Prorex, quid Senatus faciet? Nimirum
 populum uniuersum, non solum de uoluntate
 Cæsaris admonebit, sed illas ipsas literas in pa-
 trium Siculorum sermonem uersas, omnibus
 sine ullo discrimine legendas proponet. aliter
 enim neque officio erga Cæsarem suo satisfac-
 ciet, neque eas populus (quod Cæsar auet) in-
 telliget. Nam quodcumque his literis mihi signi-
 ficaris quas non intelligo, id omne pro non
 scripto habendum arbitror. O argumentum
 efficacissimum. O efficacitatem argumenti.
 infer tumet ex his enunciationibus conclusio-
 nem, syllogismum compones stabilem ac fir-
 mum. An non ista uides? sed qui poteris uide-
 re, quum solis ac diei luce careamus, quum omne
 cubiculum hoc densis tenebris offundatur? Redde
 de nobis lumen Bononia, redde lumen, quod
 mihi

mihi, ac potius nobis, quum inciperem dicere,
 promifisti. Quæ dū à me dicebātur, Bononię
 pueri, cum ardentibus tædis ingreffi, lumē at-
 tulerunt: & ego paululum, respirandi gratia, fi-
 lli. Tum Bononiam nescio quid aduersus me
 respondere conātem, in mediā uoce interrumpi
 ac repressi: &, Ego te, inquam, Bononia attēte
 benigneq; usque ad perorationē audi; & idem
 te, dum ego orarem (uolo enim continenti uti
 oratione) facturū recepisti. fidē postulo, fidem
 serua. Video, inquam, me in prima disputatio-
 nis meæ parte nimium diu immoratum, ad al-
 terā accedamus. Reddidī nanq; tibi (arbitror)
 & multas, & magnas, & graues causas, quam-
 obrem diuinas literas in uernaculam linguam
 transferri debere, meritissimò putaremus, refu-
 tati quę in primo orationis tuæ mēbro, contra
 me argumenta stare uidebantur: id quod in hac
 disputatione quam aggredior, mihi faciē dum
 uideo, in confutando nanq; argumenta tua hīc
 ego totus ero, quanquam & in hac etiam parte
 maxime causæ aperiētur, propter quas Biblia
 in patrium cuiusque nationis sermonem uerti
 oportere uideātur. Ad rem igitur accedamus.
 Quousq; tandē nobis illudere desinemus? quo
 usq; nobis ad pernīciem nostram abutemur?
 quousq; humana, & nō diuina ratione consilia
 suscipiemus? desinamus tandem diuagari & er-
 rare extra Euangelium, & aliquando nos talis

erroris poenitere incipiat. Scis Bononia, quò
 mea dirigatur oratio, & quò tendat. Velim e-
 nim, ut ex diuino præscripto & exemplo meo
 potius, quam ex hominum consilijs aut exem-
 plis egisses. Nam quæcunq; à te disputata sunt
 in secunda orationis parte, hominem uerè sa-
 piunt, id est, (quod bona tua uenia dixerim) fal-
 lacias, sophismata, errores perniciosos: & ego
 mihi alijs argumentis utendum puto, siue quid
 probem, siue quid improbè: & quod mihi præ-
 scripsi, idè alijs facièdum censeo. Iudico enim,
 id quod res est, cum ceteris omnibus, tum præ-
 cipuè Theologis, quos uulgò appellamus, uten-
 dum esse exèplis & rationibus, & Prophetiis
 & Apostolicis: quòd, si quæ ueritas in hac uita
 esse potest, in talibus certè & sine dubio repe-
 riatur. Et humana quidè prudentia millies quo-
 tidie, imò singulis horis & fallit & fallitur, dum
 suis ipsius uiribus innititur: at si Prophetarū &
 Apostolorum scriptis regatur, nec decipere po-
 test, nec decipitur. Sunt enim illi libri ueraces
 maximè, secum deferūt utrunq;, & auctoritatis
 singularis eximiam grauitatem, & rationis eui-
 dentissimæ ac efficacissimæ pòdus incredibile.
 sunt enim rectissimæ humane prudētiae regula,
 ueritatis excellētissimæ certissima uia: qua qui
 insistit, certissimo tramite & rectà perueniet,
 quocunq; uolet. Hæc tibi differenti cōtra me, si
 in animū incurrissent, magno me leuasses onere, ad-

re, aduersus te, quod nūc facio, respondendi: & tibi etiam ac cæteris, qui adsunt, audiendi. Maluisti enim pugnare mecū ex humanis rationibus, unde argumenta desumebas, quàm ex diuinis argumētis. Quod cū ex superiorib. que multa aduersum te dixi, intelligere potuisti: tū ex his quæ sequūtur, multo facilius colliges. Ac ut hoc planū faciā & apertū, quæ argumenta in secūda parte proposueris, mecum recognosce. Nō, inquis, uertēda est sacra scriptura in uulgi linguam: q̄ sic uersa, negligi, uiolari, pollui uideat̄. quod ut mihi probares, multa attulisti de humanis ritibus, miscuisti multa de hominum inuētis, multa turbasti de humana politia, nullū diuinū argumentū aut exemplū asserre potuisti: nā si potuisses, attulisses sanē. Ego humanos ritus & ceremonias, nō omnib. permittēdi ad mouere manus ad sacras uestes & uasa, ut non improbē: te tamē, q̄ illinc argumēta ad me conuincendū desumpseris, non possum non uehementer admirari. Erāt enim ad uulgi opinionē fortasse probabilia, ad tuā uerisimilia, ad meam infra q̄ modica, ad dialēcticæ leges nulla. Meuisses (arbitror) illis argumētis imperitum uulgus, me autē uix, ac ne uix quidē itillasti. Quē enim ista moueāt? & uasa & uestes sacras non cuius homini licet tāgere, ergo nō est uertēda diuina scriptura in uulgares linguas? Egregia scilicet complexio, & suis legibus absoluta atq̄

Perfecta. Illud de pollutis, inquinatis, & con-
 taminatis manibus risu est quod dignissimum. Quis
 cunque cruentatis manibus, aut illotis, aut spurcis
 Biblia attigerit (taliam enim referebas) sacra scri-
 pturam contaminat. Pharisei (mihi crede) ista re,
 non lex Dei docuit. Nam qui illotis manibus ad
 mensam accedere Apostolis uicio uerterunt, re-
 prehensuri & grauiter nos detestaturi fuerint, si
 ad sacra scripturam inquinatis manibus accessis-
 semus: quid si etiam tabe aut cruore eam ex mani-
 bus infecissemus? Hanc, inquam, si Phariseis in-
 spectantibus fecissemus, exclamassent, certo scio,
 uociferassent ingentibus clamoribus, inquinari
 & contaminari scripturam sacram. Ego manus la-
 uare, non solum civile esse duco, sed etiam saluta-
 re: non attingere quicquam, praesertim si sit delica-
 tum & mundum, nisi immunditiam digitorum ablu-
 ris, hominis arbitror urbanum & honestum. Non ta-
 men arbitror nefas esse protinus, si quis interdum
 curam istam & sollicitudinem faciendi mundicias uel
 oblitus sit, uel differat, uel quacunque ratione non
 fecerit: immo illorum damno intolerandam morosi-
 tatem, qui talia nimis seuerum exigunt: & quod interdum
 ob eam causam nolint librum in manus sumere, quod
 manus non lauerint, superstitiosos iudico, & eos
 qui nesciant quibus in rebus Deo inseruiatur. Non
 enim corporis exteriorum mundiciam amat Deus
 & flagitat, sed animi: neque has corporis sordes
 odit, sed illas animi internas detestatur, eas uult
 abluere,

ablui, & omnino tolli. Vnde ei qui puro animo
 et corde ad Deum accesserit, quocumque tempore,
 & loco, & modo accesserit, siue legendo, siue
 scribendo, siue meditando & commentando,
 huic nullae erunt apud Deum sordes, nullum fasti-
 dium, nulla impuritas: licet totum huic corpus,
 & singula membra, non solum impura & sordi-
 da sint, uerum etiam facie foetidissima horren-
 de contabescant. Quod quo magis considero,
 eo uehementius admiror tuam illam de manu
 sordibus longissimam disputationem. Videris
 enim mihi corporatum quendam Deum, & fa-
 tidiosum in Rempub. Christianam adducere,
 & eum tollere quem Vates & Apostoli nobis
 miraculose depinxerunt: Spiritum uacantem cor-
 pore, mitem, omnes ad se uocantem ex aequo,
 sine discrimine amantem homines, siue sordi-
 dos, siue mundos, modo labem animi abster-
 gant. Si enim est sine corpore Deus, liberatus
 est omni contagionis periculo: nullae eum sor-
 des, nulla lues, nulla eum macula notabit, mul-
 to minus contaminabit. Qui igitur intelligatur
 contaminari Deus, nisi nouum tu Deumingas,
 in quem istae tuae maculae cadentes possint in-
 sedere: Dices: Non Deus, sed eius scriptura ni-
 tidissima, similibus foeditatibus contaminatur.
 contaminatur: O si istud, Contaminatur, quo
 modo & quando intelligeres, quam aliter sen-
 tias: Tum, mihi crede, contaminatur scriptura,

quum uel humana libidine, uel ambitione, uel spe premiorum adducti, uim ipsi adiungimus, cogimusq; eam ad nostram uoluntatem & uoluptatem loqui: atq; ad id eam omnibus machinis, omni arte, uel inuitā maximè & repugnātem trahimus. Tum cōtaminatur, quum agnita in scriptura sacra ueritatem, ubi res, locus et tempus postulent, eam nos dissimulamus, et (pro dolore) interdum ita densis & multis falsarum interpretationum tenebris eam obsecramus, ut ne eius quidē scintilla appareat. Notasti iuxta ac ego, Abrahami atq; Isaaci cum Palæstinis de puteis concertationem. Cauauit Abrahamus altissimos puteos usque ad uenas aquæ uiuæ: hos Palæstini præ odio & inuidia terra compleuerunt. Isaacus filius demissos à patre puteos, & à Palæstinis completos, iterū restaurat, & nouos etiam deprimat. Hic rursus cōtrouersias mouent Palæstini, neq; sinunt ullam esse aquæ uiuæ uenam, quin terra obruatur. Similiter, mihi crede, omnes quicunq; iurgia & bella indicunt aquilegibus ueritatis Prophetice & Apostolicæ, uel quicunq; uenas iam repperas ueritatis uel obturāt, uel cœno falsarum interpretationum fœdant, ij sine dubio sacram scripturam contaminant. Hæc si tecum attentè cogites, non dubito, quin sis pro tua prudentia cogniturus, qui, quo modo, & quando sacras literas contamine. Relinquam hæc tuo iudicio
exami

examinanda, interim tamē instituta persequar,
 & nullis sordibus, nulla impuritate sacram scri-
 pturam contaminari posse conuincam: ideoq;
 nullo hominum generi quantumuis sordido,
 quantumuis barbaro, quantumuis crudeli, quā-
 tumuis malo, quantumuis impio, denegandā
 esse atq; adimendā. Tu cōtrā dicis, & ab homi-
 nibus impuris, ut inquinari afirmas, sic eam e-
 tiam procul remouendā esse censes. Age, quos
 appellas impuros, sordidos & turpes: eos ne
 qui corporis sordes & maculas, an qui animi la-
 bem contraxerunt? Utrosq; necesse est dicas,
 quoniam utrosq; in exemplū attulisti. Proba-
 bo igitur primō, qui corporis labe contaminati
 sunt, eos ab scriptura sacra non esse arcendos:
 deinde, neq; eos quidem qui uicio et animi la-
 be inquinent, esse sacra lectione prohibendos.
 Age, dic impuro corpore quos homines esse di-
 cis: puto agrotos, tabidos, claudos, sordidos,
 squalidos, ceterosq; genere de eodem: itemq;
 coquos, factores, laniones, pistores, & similes.
 Quid, quāso te, maculae contrahet scriptura sa-
 cra, si manibus huiusmodi hominū attrectet?
 Si pontifex, si abbas, si quiuis deniq; ex Ecce-
 llasticis alius manibus sordidis, corpore langu-
 do, tabescente, & suprā quā dicit possit male
 affecto sacros libros uersaret, num clamares ui-
 olari scripturam sacram? Quotusquisq; aut mi-
 ratur, aut conqueritur nefas esse, ab huiusmodi
 homi-

hominibus eam legi: Lege superiorū ætatum
 memoriam, quæ uarijs libris cōtinetur: uidebis
 Pontifices languidos, imbecillos, tabidos, non
 solum non à lectione sacra abstinuisse, sed etiā
 in ea fuisse diligenter et assiduè uersatos. Quid
 ergo? si corporis imbecillitas, ualetudo, sanies,
 sordes, scripturā cōtaminant: cōtaminarēt pro-
 fectò omni tēpore, omni loco, et in quocūq; ho-
 minū spurcorū genere, si in eiusmodi homines
 libri incidissent. Vereor, pfectò ne leuiter face-
 re uidear, qui tam fatuis argumētis respondeā:
 respondendum tamen est. Num eos tu lotos,
 nitidos, & mundos esse arbitraris, qui prospera
 ualetudine utuntur, neq; ex spurcicia sordent:
 minimè. Nam Christus totius mundi sapiētis-
 simus, ac potius sapientia ipsa, quum iam om-
 nium Apostolorū pedes lauisset, essentq; om-
 nes, ut Ioannes dicit, loti, Christus Iudam in-
 mundum significauit, & lotū non fuisse. Hinc
 fit, ut non ab externa hac corporis aut mundi-
 cia aut sordib; lotus quis et spurcus esse dicatur:
 sed ex illa animi uel macula uel mundicia, qua-
 rum hæc mirificè lauat, illa horrendè inquinat.
 Sed quis unquā miratus est, sumi in manus ho-
 minum malè corpore affectorum, aut sordido-
 rum, scripturā sacram? Licebit, ut uideo, à tali-
 bus uiris, manib; spurcis uersari sacra uoluntis
 na, & legi non licebit? Imprimuntur sæpe libri
 sacri per homines aduersa ualetudine laboran-
 tes, per

tes, per homines profanos, sanguinarios, per homines non solū manibus, sed etiam toto corpore inquinantissimos: uenduntur saepe per homines etiam languidos, tabidos, cōtaminatos, emuntur item non rarò per homines febricitantes, languidos, foetidos. Quid hoc rei est? patimur & imprimi, & uendi, & emi libros sacros ab hominibus corpore inquinatis, & legi non patiemur: Quid? an nō usu receptum est, apud certas nationes, ut sub puluinarī hominis, ex quo cuncq; morbi genere laborantis, ab ipsis Ecclesiasticis hominibus, sanctissimū Christi Euangelium reponat, salutis recuperandæ gratia? Quī igitur licebit istud facere, si ab hominibus inquinatis scriptura sacra contaminatur? Reliquias item sanctorū uirorū, qui ex hac uita recesserunt, deosculanda hominibus spurcis & inquinatis (quos uocas) sacerdotes proponunt. Deus bone: reliquiæ non contaminatur osculis, anhelitu foetido, manibus spurcis, labijs sanie interdū madentibus: & si legatur scriptura à similibus hominibus, contaminabit? Quid uerò: non ne Christus leprosos, languidos, cæcos, claudos attigit? Quid igitur causæ est, cur non ab his legi patiatur, quos ipsemet suis manibus tetigit, attrectauit, uersauit? Num si, ut dicis, ab huiuscemodi hominibus Deus cōtaminaretur, his se Christus tangendū dedisset? Ergo si ab Episcopis sordidis & inquinatis, si à
 quouis

quouis homine sordido et inquinato libri sacri
 imprimuntur, uenduntur, emuntur, si ab aegro
 tis qui è morbo in lectis detinentur, omnium con-
 sensione merito tangi putantur, si Christus non
 ueritus est quenquam hominum sanctissimis
 suis manibus attingere: sacros libros etiam nos
 languidis hominibus concedamus, nec eos se-
 dari uana superstitione arbitremur. Iam uero
 si consideres animi labem, & non corporis, di-
 ces à Iudæis, à Mahumetæis, à simulatoribus,
 ab adulteris, à foeneratoribus, à sicarijs, & ut uer-
 bo complectar, à peccatoribus non uio-
 lari & se dari diuinos libros, si ab eis legantur.
 Nam ut eleganter et uerè dictum est ab Augu-
 stino: Nulla medicina salubrior est ad animi
 morbos, quàm scriptura sacra: nam ex hac pe-
 res præsentissimum remediũ ad omne mor-
 bi genus, atq; tale remediũ, quale alibi nusquã
 reperias, nec mirum. Est enim in ea medicus sa-
 pientissimus & omnium maximus, Deus, qui
 omnes morbos & eorundem causas perfectissimè
 me nouit, & remedia certissima ut habet, ita et-
 tiam nobis tradidit. Quid igitur dicam: an non
 Iudæi, Mahumetæi, Ethnici, latrones, homici-
 dae, adulteri, caeteriq; peccatores, grauissimo a-
 nimi morbo afficiantur: an non certissima his
 medicina atq; curatio in libris sacris parata est:
 cur igitur eos à curatione arceamus? Stultum
 uideatur, si, quum è morbo grauissimo quis per
 periculi

periclitetur, huic et medicus et medicina interdicitur: cū igitur hominib. tu ex animi morbo laborantib. scripturā uetas, quę & medicina & medicus est, non ne stultē facere uidearis? Nū qui istis (quos memorauī) morbis detinentur, medicina nō egent: egēt. An nō in summouite periculo uersantur: uersant. Cur igitur eos scripturę sacrę lectione prohibebimus? Si contaminari ab huiusmodi hominib. scripturam Deus uidisset, nunquā profectō eam nobis tanquam medicinam animi proposuisset: nam esset tale remediū, ut eo cum maximē opus esset, omniū minimē utiliceret. Vide item quid dicat Paulus: Scriptura, inquit, utilis est ad docendū, ad destruendū falsas opiniones. Quisnam, rogo te, magis opus habent doctrinę solidę institutione, & errorū correctione, quam hi, quos tu animi labem contraxisse dicis? Cur igitur hos ad scripturam sacram non patiemur accedere? An si Deus ab huiusmodi hominib. contaminari uidisset, eam nobis proposuisset? alioquin enim doctrinā eam haberemus, quā soli hi qui minus indigerent, legerent ac discerent. Imitemur potius Christum ipsum, qui, ut ipsemet testatur, non uenit uocatum iustos, sed peccatores: ob eamq; rem cum publicanis & peccatoribus unā cibū sumebat, id quod ei Scribę & Pharisei uitio uerterunt. Quid hoc Christiane quæso est: poteris uersari, colloqui familiariter cum

riter cum Publicanis & peccatoribus, nec patieris ab iisdem legi? Pateris unã cum publicanis & peccatoribus conuiuium & epulas sumere, nec patieris ab iisdem legi? Cum Samaritana Christus non ne miscuit sermonem? non ne edocuit ueram orandi Deũ rationem? Sed quare
 „ lis mulier? Audi, ipse Christus dicit: Iuocauit
 „ inquit, uirum tuum, et huc uenito. Non habeo
 „ uirũ, inquit ei respondens mulier, Et Iesus: Re
 „ ctẽ dicis non habere te uirum. nam quinq; ui
 „ ros habuisti: nunc quem habes, nõ est uir tuus.
 „ istud uerẽ dixisti. Hæc Christus Samaritana.
 Non ne hîc Christus impudicam mulierem, et
 contaminantem se uaga libidinis cupiditate, al
 loquitur? Non ne eam tametsi peccatricem, et
 ut tu dicis, spurcam & coinquinatam, instituit
 de orãdo Deo? Cur ergo adultero, aut sicario
 aut flagitioso legi uetet scripturam suam, cum
 se totum iisdem non negarit? Magdalena scortum
 famosum fuit: at huic suos pedes Christus
 lauandos dedit. Cur igitur non sinet ab scorto
 legi scripturam suam, cum se ab scorto tangi et
 attrectari passus sit? Christum docentem homi
 nes nequam audiebant, homines flagitiosi au
 diebant, adulteri, sicarij, nepotes, homicidæ,
 impotentes, libidinosi, inuidi, maliciosi, truces,
 latrones, infideles, ac infidẽtes, impij, homines
 deniq; omni uitiorũ macula notati audiebant,
 alloquebantur, Christus hos omnes erudiebat
 loquebat

loquebat, tangebatur, nec ab se excludebat: cur nos putabimus, abs similibus eorū hominibus nolle Christū in libris uideri, audiri, tangi? Scribæ, Pharisei, tyrannide opprimebant Ecclesiā Dei: hos Christus adiit, & his interrogatus sæpe respondit, his se nō modò uidendū, sed etiā tangendum dedit. Quid Iuda Christi proditor scelestius? quid inquinatius? atq; ab hoc se non solum Christus passus est uideri, tangi, sed etiā osculari. Quid plura persequar? quid moror in re plus satis aperta? Si Christus uoluit uideri, aspici, tangi, adiri ab hominibus perditissimis & sceleratissimis: non denegabit scripturā suam (quæ uilior res est quā ipse Christus) etiam hominibus quantumuis flagitiosis. Legāt igitur scripturam sacram coqui, sartores, fabri, pistores, architecti, calcearii: legant scripturam uenefici, adulteri, homicidæ, patricidæ, fratricidæ, sororicidæ, raptores, & sacrorum omnium ac religionis hostes ac euerfores: periculū enim nullum est, ut à talibus hominibus diuinæ literæ uiolentur. Pergis deinde Bononia, atq; cōtendis, non debere in uernaculā linguā transferri literas sacras, ne omnib. expositæ sint: nam omnibus expositas esse turpe ducis, tum propter earum excellentiam, tum propter Mosis exemplū. De excellentia & dignitate quæ sunt abs te disputata, illa omnia profanorum hominum & à uero Dei cultu aberrantium testimo-

nio confirmasti: quæ talia sunt, ut refutationis non indigeant, & quòd profana sunt, & quòd humana ratione, & futili quadam superstitio-
 ne nitantur. Nam quid sibi illud uult? Si Deus immensus est, & neque tangi, neque uideri potest: par est, ut eius scriptura non ab omnibus legatur, nec omnibus pateat. Accur-
 te, scilicet, conclusum est. Quin potius concludam ego et uerius & firmitus ex tua ista propositione, scripturam sacram aut nullam esse oportere, aut nemini neque docto neque quantumuis sancto uiro aspicere eam licere, multoq; minus tangere. Deum enim nemo uidit unquam, ideoq; neque eius scriptura à quoquam uidenda esset. quemadmodum tu dicebas, quod Deo tribuimus, idem scripturæ eius tribuendum sit. Quam ista tua regula diuinas res metiaris, quare non ita concludebas? Ergo scriptura uidenda non est. quare non ita concludebas? ergo scriptura nulla de Deo esse debet. Iam si, ut inquit Paulus, omnia ad nostram utilitatem scripta sunt, ea si legi non deberent, quo pacto ad nostram utilitatem scripta essent? præsertim quum sibi quid uellent, intelligere non possemus. Has tu præclaras complexiones ex tuis et propositionibus & assumptione facere debuisses: & non illas tuas, de non omnibus, sed certis quibusdam hominibus scripturam sacram permittendo. Pugna-
 sti mecum eo loco & Aegyptiorum, & Arabum,

gurum, & aruspicum, & ariolorū, similitudinē
 auctoritate: quos miror à te homine theologo,
 & quidem non uulgari, adductos fuisse. Pro-
 hibuit enim Deus, ne cum istis commerciū ha-
 beremus, ne istos consuleremus, ne istis fidem
 tribueremus, quòd uani essent ac futiles, homi-
 numq; deceptores, neq; tu ueritus es taliū ex-
 emplo & auctoritate sententiam tuam stabili-
 re: sequeris igitur eorum consilium, quod De-
 us facere uetuit. Homines autē illi propter ua-
 nitatem, ut soli sapere uiderentur, nolebant li-
 bros suos, de uano cultu Deastrorum, et rerum
 futurarum presentatione, in uulgus emanare: ne
 aut ipsi populo forderent, aut sibilis ab oppidis
 exploderentur, aut de possessione rerum mul-
 tarum quibus præerant eijcerentur, si ipsorum
 falsæ artes populo innotuissent. Deniq; occul-
 tabant illi libros suos, ne si populus eos intelle-
 xisset, ipsis, totoq; ordini suo pereundum esset.
 Deniq; illa omnia per fraudem, per scelus, per
 flagitium, per deceptionem agebantur. Num
 igitur uoles ut subeat animū & meum & alio-
 rum etiā fortasse suspicio, tales uos esse theo-
 logos, talesq; libros uestros, quales Aegyptio-
 rum, augurum, aruspiciū, & Græcorum, & He-
 truscorum, & Romanorum extiterunt? Deus
 prohibeat & auertat tantum facinus: & uestrū
 est etiā providere, ne quippiam tale eueniat.
 Vide igitur quibus argumentis mecum con-

certares, & quàm plumbeis armis uolebas me
aut confodere aut profligare. Legenda quidem
est sacra scriptura, ne talis iuspicio oriatur, et ab
omnibus legenda, ne uel animus humanus su-
cum sibi fieri putet. Quod uidetur Christus si-
gnificare, quum diceret: Qui malè agit, odit lo-
cem: nemo enim honesta occultat, quin potius
ea in conspectu omnium proponit. Ex quo lo-
co apertissimè colligitur de sententiâ Christi, li-
bros sacros ab omnibus conspiciendos propo-
ni oportere, quòd & boni sint, & honesti, nec
propterea lucem pertimescant. Contrà si facti
amus, non deerunt qui dicant, inhonestam esse
se scripturam sacram: non sacram esse, sed pro-
fanam: non piam, sed impiam: idèq; testimonio
Christi adducti affirmabunt, quoniam eam uos
occultare conamini, neq; ab omnibus aspici se-
nitis. Vult Deus omnibus patefieri, uult omni-
bus potentiâ suam innotescere, uult bonitatè
suam ab omnibus perspici: neq; aliam ob causam
sam hanc mundi ingentem molem fabricatus
est, nisi ut in eo opificio Deum, ut inquit Da-
uid, & Paulus, intelligeremus. Dedit mox scri-
pturâ sacram ut eum conditorè & quasi archi-
tectû, totius uniuersitatis agnosceremus, neq;
eum merito honore fraudaremus. Postremo
misit filium suum Iesum Christum, ut in eo tan-
quam libro uel imagine, Dei bonitatem, male-
statem, sapientiâ, potentiâ, apertissimè lege-
remus.

remus, & quasi ad uiuū expressas astantes uirtutes, non iam animo, sed oculis ipsis cernemus. Ita ne uerò: Tot modis uoluit Deus nobis patefieri, quot ad hominum captum ostendi potuit: et nos Deum prohibebimus suum finem consequi, dum scripturam sacram hominibus interdiciamus? Quid enim aliud est scripturam alicui interdicare, quàm uetare Deum instituti suum cōsequi: quàm iubere, ut Deus qui per literas sacras omnibus patefactus est, ne omnibus patefiat: Scripturam, quæ so, non tradidit Deus omnibus ex æquo: non ne eā tradidit, ut ipsum omnes ex æquo perciperemus: Cur igitur non omnes, eam æquè legantur: cur igitur non in ea omnes quicumq; uelint, Deū patefactum possint intueri? Donum, aut munus, aut possessio, quæ in multos ex æquo tribuenda est, nemini denegatur aspicienda. omnes in ea idem ius habēt: iniuria fieret, si alicui denegaretur. Quid scriptura sacra, non ne donū est & munus, quod pro sua benignitate uniuerso hominū generi elargitur Deus: non ne possessio est, in quam, quoniā ad omnes pertinet, tantundem iuris omnes homines ex æquo habent: Cur igitur non omnes scripturam legēt: cur non omnes ad possessionē accedent: Auaritia est, munera omniū cōmunia in rem propriam conuertere: tyrannidis summæ, iustos heredes à possessione bonorum aut prohibere, aut

re, aut deturbare. Tribus, ut antè dixi, modis Deus nobis se patefecit: primò per mundi perfectissimam fabricā, deinde per sacras literas, post per suum filium Iesum Christum: in quibus patefactionibus, prima & ultima omnibus ex æquo communes sunt: cur igitur non erit etiam communis secunda: à prima & tertia nemo excluditur, omnibus ex æquo patent: cur igitur à secunda certi quidam explodent: Cælum, solem, astra, aerem, aquam, terram, & quæ ex his gignuntur omnia, omnibus sine discrimine patent, omnes in his Deum reuelatum, quicumque considerare uolunt, agnoscunt. Christum uniuersus orbis communem et sibi expositum habuit: ipsum adire potuissent, quicumque colloqui uoluissent. Quid ni & sacras literas, qui secundus est patefactionis modus, sine discrimine omnes intueamur, tractemus, legamus: Nā maior est, aut melior, aut sanctior libellus quidam ex charta & atramento, quàm mundus uniuersus: Num maior est, aut præstantior libellus chartaceus & atramentarius, quàm Christus filius Dei uiuentis: Non igitur probabile est, ut qui & totam mundi machinam, et filium etiam suum omnibus hominibus sine discrimine utendos dederit, iisdem non etiam scripturam sine discrimine proponat. Sed obstat, iniquies, Mosis exemplum & testimonium. Ego uerò arbitror Mosem sanctissimum uirum, nō sine

sine mysterio tabulas legis in arcam inclusisse. primum nimirum, ut populus Israeliticus (quoniam duræ cervicis erāt) illa religione ceremoniarum exteriori seruandarum tabularum, quasi manu, crassoque modo intelligeret, sic eas in animo et intrinsecus seruari oportere, ut extrinsecus seruabant. Vel ut intelligeret, quāti lex Dei faciēda esset, quā tantus honor tabulis, in quas lex ipsa incisa erat, à Mose tribueretur. Vel ut tacite insinuaret, legem ipsam (dicam fortasse nimis audacter, sed probabiliter, & ad ea quæ de Christo dicuntur in Euangelio accommodatè) clausam esse, nec reserari oportere, nisi ab eo qui, ut est apud Ioannem, claudit, & nemo aperit: aperit, et nemo claudit. sicque ducerentur Iudæi in spem uenturi Messia, qui, ut testimonio omnium Apostolorum patet, ipse legem aperuit in sermone illo potissimum, quem ad turbas habuit, cum in montem concessisset. Vel in uolui mysterium ingens de lege gratiæ, quam consequuturi erant homines per Christum Dominum nostrum, dum illa tabularum in arcam inclusione, per enigma Iudæi (audeamus aliquid, tametsi duriuscule) admouerentur, se inclusos esse per legem, & liberandos aliquando esse per fidem Christo habendam, quemadmodum scriptum est: Omnes sub peccatum inclusit, ut omnium misereretur. Neque est quod tibi mirum uideatur, si tot mysterijs inuoluta esse legis in arcâ

inclusionem à Mose putem, quum & Agnus
 qui in festo Pasche ederetur, Christum delin-
 ret: quod humana mēs, nisi ab Apostolis expli-
 catum fuisset, intelligere nunquam potuisset.
 Latet enim ingens mysteriōrū altitudo ac pro-
 funditas in his omnibus, quæ Deus per Mosen
 populo Israelitico significauit. In quibus ape-
 riendis, & multi multum sibi tribuerūt, ut Ori-
 genes, ut Augustinus, ut Hieronymus, ut Gre-
 gorius, taceo etiam multos alios: quibus quod
 in hanc partem facere licuit, puto etiam mihi li-
 cere, modò ne quid impiè, aut longè translatè,
 aut nimis durè afferatur: quod est uitium dete-
 standum. Sed ubi piè, candidè, accommodatè,
 eleganterq; potest ænigma aliquod ueteris Fœ-
 deris ad Christum accommodari, id non est re-
 cusandum, præsertim quum Christus ipse de se
 22 dicat: Scrutamini scripturas, quoniam illæ testi-
 22 monium reddunt mihi, & Paulus clamat, om-
 22 nia antiquis Patribus per ænigma contigisse,
 fui secp̄ dicta. Habet item locum in Euangelio
 explicatio eius generis, quæ in laudem Dei cō-
 uertatur, ut Christi testimonio apparet. Itaque
 non uideo cur mihi non putem illud Mosis de
 arca ita explicari, ut à me dictū est: quod si ad-
 mittas, satis abunde tuæ quæstioni opinionēq;
 satisfactum fuerit. Sed pugnabis adhuc, con-
 tendesq; tamen, si ita se res habeat, ut à me ex-
 plicatum est, nihilo-tamen minus legē populo
 à Mose,

à Mose, ut transcriberetur ad omnium usum,
 permiffum non fuisse. Verùm enim uero si con-
 sideres, ubi tum Moses degeret, quum ista face-
 ret, non dubito: quin credas, istud per tempus
 & locum fieri non fuisse permiffum: nam erāt
 tum Israelitæ in solitudine, uagabantur & er-
 rabant incertis sedibus huc illuc, bello undiq̃
 petebantur, nec noctu, nec interdium quiesce-
 bant. Quòd si in tantis angustijs, in tantis peri-
 culis, in tanta incommoditate, in tanto errore
 illud non fecerunt, tempori adscribendum est,
 non Mosis uoluntati. Nam de eius uoluntate
 illud constat affirmarem (quod ex multis lo-
 cis colligitur) nihil ipsi optatius fuisse, quàm ut
 non solum omnes homines descriptam apud
 se legem Dei haberent, uerum etiam in cordis
 bus impressam. quod patet ex his quæ ipsemet
 dixit: Narrabis filio tuo uerba legis huius. &
 Lex Domini semper sit in ore tuo: & Leges
 uerba legis huius coram omni Israel. Quin etiam
 ipse Moses, unam cum Israelitico senatu, populo
 precepit in hunc modum: Conseruatore om-
 nem doctrinam, qua ego uos hodie instituo.
 Ac quo die continget uos trajecto Iordane, in
 terram uenire, uobis à Ioua Deo uestro datam,
 erigitote saxa ingentia, eisque gypso incrustatis
 inscribitote in ipso uestro transitu omnia uer-
 ba legis huius. Iubet erigi saxa Moses hoc lo-
 co, ut uides, ad memoriam legis sempiternam:

& erigi iubet in loco apertissimo, in omnium
 conspectu, in omnium oculis, ut ab omnibus
 lex uideretur, & legeretur sine personarum dis-
 crimine. Quid hoc? qui talia fecit, legem putas
 cuiquam legendam denegasse? Si igitur prece-
 pit Moses, ut legem Dei omnes legerent, & ut
 in saxa ob omnium oculos incisa poneretur,
 nihil minus censuit, quàm quod tu dicis, ut nõ
 omnes legem apud se haberent Mosen uoluisse.
 Itaque illud de arcæ inclusione, aut ænigma
 fuit, aut humanum consilium, ut ubi res postu-
 laret, ex certo loco peterentur. Alicubi enim
 tabulæ in quibus digito suo Deus scripserat, ser-
 uandæ erant, nec ubiuis reponendæ, quoniam
 in manus Dei inciderant. Itaque eas commisit
 sacerdotibus, tanquam his qui rerum diuinarum
 curam præter cæteros agebāt: quanquam
 ut in Deuteronomio est, etiã eas populo com-
 misit, quatenus in auribus sacerdotum, Israeli-
 tis dixit, ut earum etiã ipsi curã agerent. Quo-
 circa præcipuam curam sacerdotes legis habe-
 bant, ut Dei ministri; secundam autem & mi-
 nimam, populus uniuersus, tãquam hi qui Dei
 serui essent, & ad quos Dei decreta pertinerent.
 Quòd autem septimo quoque anno recitari le-
 gem in omnium auribus Moses præcepit, pro-
 pter ceremonias & ritus, in quibus animus no-
 ster ad Deum excitatur, non quòd putaret le-
 gem Dei ab hominibus prophanis & plebeijs
 legi

legi nō debere, propterea legi eam iussit. Nam quum ipsemet, ut probauī, præceperit populo ut in saxis insculptam legem omnibus spectandam atque legendam proponeret, si per ceremonias festi Remissionis iudicasset, quod tu dicis, à populo legem neque tangendam esse, neque legendam: ipse planè sibi contradiceret, diceretq; contraria. Nec moueor commemoratione illa libri legis ab Helcía Pontifice maximo reperti, delati ad Iosiam Regē: quoniam illa non modò non contra me, sed pro me faciunt. Fuerit, & fuerit unus tantum legis liber Iosiae temporibus: illud peto, ex præcepto ne Mosi, aut uatis alicuius unum tantum librum Reges illi habuerunt, an ex propria uoluntate, arbitrioq; suo: non ex præcepto Mosi, ut probatum est: ergo neque alterius cuiuspiam uatis. Nam si alius quispiam de Vatribus contra Mosi decreta, aut consilium statuisset, esset in consilijs diuinis repugnantia, quod nemo sane mentis dixerit. At dixerat fortasse aliquis Vates. Cedo, quis nam ille? nullus. Ergo si neque ex Mosi decreto, neque Vatum aliorum sententia unus tantum liber habebatur: restat, ut arbitratu suo, ac potius uano stultoque iudicio, unum illi tantum librum habuerint, siuerintq; ceteros omnes, qui plures fortasse fuerant, interire. Neque mirum, nam ex quo Solomo Dauidis filius non una uxore, Pharaonis filia contentus

tentus fuit, animum appulit ad mulieres alienigenas, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hetteas: tam alienato fuit animo à Dei cultu & religione, ut ingrauescente ætate, deastrorum cultum Hierosolymam induxerit, in gratiam & uxorum, quas septingentas habuit: & concubinarum, quæ fuerant trecentæ. Hinc factum est, ut Astorethum Sidoniorum, Chamosum Moabitarum, Melcomum Ammonitarum sequeretur, hisque templum consecraret. In sequenti postea ætate, quo magis recessum est à Davidis temporibus, eo magis ad idolorum nefas accedebatur: usque eò, ut in syluis, in lucis, in locis publicis et priuatis nefas coleretur: & si unquam aliàs prostratus iacuit veri Dei cultus, Iosifæ quidem ætate funditus euersus erat. Quid igitur mecum ex hominum sceleratissimorum flagitiosissimorumque exemplo contendis? Quid mihi conaris ex hominum perditissimorum abusu, opinionem tuam probare? Non habuerunt isti, quorum exemplum afferebas, nisi unum librum. Fateor, quippe qui deseruerant Deum suum. Non habuerunt nisi librum unum. Concedo, quia Deos sectabantur. Non habebant nisi librum unum. Do, quia religiosissimi scilicet fuerant, ut qui unum quem habuerant librum de religione, tam bene curauerint, ut eum perire ita permiserint, ut quum maximè eum uellent, aut

aut nullo modo inuenire, aut difficillimè pos-
 sent. Cur igitur talium hominum exemplo
 confirmari sententiam tuam putabas? Perpen-
 distes istud exemplum, intellexisses facillè con-
 tra te stare, à meq; facere. Nā si penuria & pau-
 citate librorum sacrorum eò uentum est à lege
 Dei, ut penitūs ignoraretur: abundantia libro-
 rum & ubertate tutior erit ab interitu, atque se-
 curior. Deinde si (ut tuo isto exemplo patet) u-
 bi est à Deo alienatio animi, ibi paruus libro-
 rum numerus esse solet: profectò necesse est se-
 quatur, ut ubi maior sit librorum copia diuino
 rum, illic ardentius multo atque flagrantius stu-
 dium Dei colatur, uenereturq;. Itaque ex abu-
 su, ex incuria, ex segnitia, ex neglecto cultu
 Dei præpotentis, illa paucitas librorum Iosia
 temporibus extitit. Quare non illam moror.
 Sequor magis exemplum Iudæorum eius æta-
 tis, in qua post abiectam uanitatem atque de-
 mentiam colendorū deastrorum, Deum suum
 homines studio ac diligentia sequebantur: ac
 ne sim longior in percurrendo singulas Iu-
 dæorum ætates, eo tempore quo Christus hu-
 manam naturam induit, quis fuerit librorum
 sacrorum & quantus usus, consideremus. Ha-
 buit ea ætas Scribas, Pharisaeos, Legis peritos,
 aliosq; doctores, qui libros sacros uersabant,
 legebant, relegebant. Neque isti solum in libris
 sacris uersabantur, sed etiam ceteri omnes, qui-
 cunque

cunque eos legere uolebant: quod ut credam,
 & Christus facit, & Eunuchus Aethiops, Can-
 dace Aethiopum reginae praefectus: quorum
 ille duodecimo aetatis suae anno, aperto libro,
 cum doctoribus legis disputabat: hic uero in
 curru sedens, Esaiam uatem legebat, quem
 non intelligebat, ut est in Actis Apostolorum.
 Si igitur libri sacri aetate illa non omnibus per-
 mittebantur, cur Iudaei ferebant puerulum
 Christum, non solum legere diuinam scriptu-
 ram, sed etiam aperire ac docere, quum in eo
 diuinitatis nihil suspicarentur? cur Eunuchus
 sacrarum literarum ignarus ac rudis, Esaiam
 in manibus habebat? Christus item intensa uo-
 ce uniuerso populo dixit: Scrutamini scriptu-
 ras, quoniam illae de me testantur. Si populus
 scripturam non tractabat, aut legebat, quare
 dixit Christus populo, ut scripturas scrutaren-
 tur? Est item hodie receptum more inter Iu-
 daeos, ut uel pueris infantibus quidem uetus
 Foedus in manus dent, ut paulatim affuefiant
 scripturae phrasi, Hebraeo sermone, hauriantque
 ex ea diuitias orationis: sic una quasi fidelis,
 duos dealbant parietes, ut & linguae Hebraeae
 puritatem, & uerum Dei cultum eadem opera
 addiscant. Hos si interrogas de sua consuetu-
 dine, dicunt, per manus sibi esse traditam, nol-
 leque se illi renunciare. Quid? Septuaginta in-
 terpretum oblitus eram. Quo tempore hi de
 Hebraeo

Hæbræo uetus Fœdus Græcum fecerunt, non
 ne scriptura sacra à quouis tractabatur? Quid
 ita? quia si religio fuisset à populo, à plebeijs ho-
 minibus legi, neque mehercules in Græcam
 linguam Septuaginta Hæbræum Fœdus tran-
 stulissent, neque Senatus Iudæorum transferri
 permisisset. Et ad quorum usum permisit: nem-
 pe Aegyptiorum, hominum à Deo alienorū.
 Permittunt Iudæi ab Aegyptijs legi sacram scri-
 pturam, & non permisissent à plebeijs suæ gen-
 tis legi? Apostoli item nemini denegarunt
 libros sacros, neminem eis interdixerunt: ec-
 clesia Græca omnibus æquè scripturam sacram
 tradidit. Ergo si Moïsis ex emplo & testimonio
 neminem lectione sacra priuare debemus: si
 incuria & negligentia multos annos usque ad
 ætatem Iosæ liber legis delituit, ex quo idolo-
 latria manauit: si per librum repertum correcti
 sunt populi Israelitici errores: si erant doctores
 legis: si Christus puer, scripturam legebat: si
 Eunuchus, homo Aethiops, & disciplinarum
 ignarus, Esaiam legebat: si uniuersa multitudo
 Iudaica promiscuè in libris sacris uersabatur: si
 Septuaginta interpretes ad usum Aegyptio-
 rum uetus Fœdus Græcum fecerunt: si Iudæi
 adhuc usque diem uel pueris scripturam sa-
 cram in manus tradunt, libros sacros à quouis
 homine legi posse iudicemus. Abundè ubi satis
 factum est Bononia, ad ea quæ de excellentia
 diuino

diuinorum librorum, & Moſis exemplo argu-
 gutabaris: quæ quàm eſſent infirma intellexi-
 ſti, nec uni hominum generi ſacras literas,
 ſed omnibus indifferenter concedendas col-
 ligere potuiſti. Verùm quoniam uolo, ne
 quis te maneat ſcrupulus, ne quid dubites,
 etiam probare tentabo pluribus, ſacram ſcri-
 pturam omnibus debere eſſe expoſitam, ita ut
 quicumque uelit, eam poſſit legere. Quod ut
 melius intelligas uelim paulisper animum à lu-
 deorum antiquiſſimis ceremonijs auoces quæ
 tametſi contra me non ſunt, nec pro te faciunt,
 ſolent tamen ſuperſtitionem in noſtrum ani-
 mum inuehere, ſi illas ſine luce Euangelij in-
 tueamur. Faciem illi Moſis præ luce quæ ab illa
 effluebat, aſpicere non poterant: & nos Chri-
 ſtum Ieſum, imaginem Patris, intuiti ſumus.
 Vidit enim mundus Chriſtum in terris huma-
 no more uerſantem. Sic olim inter Iudæos ne-
 fas erat, nomẽ ex quatuor literis compoſitum,
 IOVA, proferri: nunc tamen nemini non li-
 cet, illud uſu & ſermone conterere. Similiter
 Iudæorum fuit, celare populum ſua myſteria,
 qualem nos per Dei ingens beneficium nati
 ſumus, occultari non ſinit palàm omnibus eſſe
 uult, ab omnibus conſpici deſiderat. In pen-
 trale templi, in ſanctius ſacrarium (quod San-
 ctuarium, uel Sancta Sanctorum uulgo dici-
 tur)

tur) soli sacerdoti ingredi licebat: at in Christi morte, ubi uelum templi scilicet est in duas partes, ad ipsum Christum, qui uerè est sanctius sacrarium, nemini non patet introitus. Hæc à me ideo dicuntur, ut Dei summum beneficium agnoscamus, qui & nos à seruitute caeremoniarum, grauissimo onere, (taceo interim beneficium reconciliationis) in libertatem uendicarit, & ab umbris ac quasi tenebris in lucem deduxerit. Nec fateamur aut cogitari, esset enim de Dei & Christi dignitate imminuere aliquid: sed credamus, quæ per ænigmata loquutus fuerat olim Deus per uates, ea omnia in uno Christo tanquam speculo (ut inquit Paulus) nobis esse representata. Itaque iam non umbras, sed uerum simulachrum habemus. Quapropter si quæ fuerunt olim caeremoniæ, occultandi uel mysteria, uel libros sacros, eas abolitas (quod reuera sunt) putemus, & eas in exemplum ducere hoc tempore erubescamus. Postquam enim se nobis per filium suum patefecit Deus, quid nos celabit? postquam filium nobis suum dedit, quid denegabit? quod antiquius & charius habuit, benignissimè nobis omnibus elargitus est: quid est, cur non omnibus sacros libros legendos permittat? Certè Deus ad omnium salutem libros sacros reliquit: & haud scio, cur ab illis

q populus

populus imperitus excludatur. Non uni ho-
 minum generi, aut ordini, aut ætati Biblia tra-
 dita sunt, sed doctis & indoctis, summis ac i-
 mis, plebi ac senatui, plebeio ac patricio, uiro
 ac mulieri, seruo ac libero, pueris ac adultis
 quid est, cur non ab omnibus legi patiamur?
 Lycurgus, Draco, Solon, Numa, nullus legis-
 lator quantumuis tyrannus ac crudelis esset,
 quod omnium esset ut à paucis possideretur,
 aut uoce aut scripto sanxit: & nos Christiani
 homines, qui probitatē, æquitatem, iustitiam,
 ueram denique religionem profitemur, à sa-
 cris libris, communi omnium possessione, om-
 nes semouebimus, præter pauculos quosdam,
 qui communi uocabulo aut Monachi, aut
 Theologi nominantur? Repugnat & humane
 & diuinæ rationi, id cuiquam denegare quod
 sit suum. est autem omnium communis sacra
 scriptura, cur eam nos populum legere ureta-
 mus? Iudæi maliciā, odio, maleuolētia occa-
 si suam omnibus omnis ordinis, ætatis ac sexus
 hominibus scripturā legendam tradunt. Quid
 Mahumetæi: an non & hi idem etiam faciunt?
 Quid est igitur quod nos prohibeat,
 quo minus & nos omnibus Christum profi-
 tentibus diuinam philosophiam concedamus?
 Augustiniani, Benedictini, Franciscani, suo-
 rum auctorum traditiones & regulas non so-
 lum & habent omnes, & legunt sine discrimi-
 ne

ne omnes, sed etiam & eas addiscere coguntur omnes, & certis tum hebdomadam singularem, tum omnium annorum diebus eas legunt audientibus omnibus, idq; sine explicatione ac commentario, & cum explicatione: denique quicumque eas legere uelint, fit latissima copia. Societatibus hominum (quæ Fratritates nominantur) suæ sunt leges ac sanctiones, quas quicumque de societate, & quidem etiam ij qui in ea non sunt, si uelint, possunt legere, relegere, perlegere. Faber, calcearius, pisttor, alutarius, coriarius, textor, suarum institutionum ac sanctionum lectione nõ prohibentur: omnes ad unum sanctionum suæ artis iura addiscunt, omnes memoria tenent: nec fidem habent Societatis capiti aliqua de re de qua ambigatur, nisi proprijs oculis eam ex libro Sanctionum legendo finierint, ac diremerint. Hanc regulam ac sententiam quum teneramus, quid est cur uereamur, ne diuinas litteras non omnibus ad legendum demus? Pastoris Christi omnes oues uocem (ut ipsemet apud Ioannem clamat) sequi debent, fugereq; aliorum: quem, non uideo, qui possint sequi, nisi ipsum Christum in scriptura sacra uociferantem, clamantem, admonentem, loquentem omnes audiant. Omnes Christus in sacris litteris alloquitur, omnes appellat, omnes uocat, & mares & foeminas, & pueros, & adultos: cur

non omnibus liceat interpellatis ad sacros li-
 bros accedere: Christiani nominis professio,
 usus, & utilitas omnium communis est: Lotio,
 id est, baptismus omnium communis est: Sa-
 cramenta omnibus communia sunt: templum
 omnium commune est: denique primum
 beatitudinis immortalitatisq; idem omnibus pro-
 positum est, idem omnibus constitutum est,
 idem omnibus patet, quicumque ad illud uelint
 contendere: cur sola Biblia non omnium erit
 communia, sed ad pauculum Christianorum
 numerum ea ablegabimus? Num quæ Deus
 communia esse uoluit, homines priuata merito
 & iure facere poterunt: num quæ Deus ex be-
 nignitate & munificencia sua largissimè om-
 nibus utenda dedit, ea nos homunculi ad pau-
 culorum usum arctabimus, ac contrahemus?
 » Clamat Petrus, & dicit, Ut parati simus ad scri-
 » faciendum istis, qui mouerint nobis quæstiones
 » de ea religione, in qua uiuimus: nec nos attin-
 » gemus libros diuinos? Omnibus ne illud præ-
 » cepit D. Petrus, an non? omnibus quidem cer-
 » te. Qui poterunt omnes respondere ad ea quæ
 » fuerint interrogati, de professione Christiana?
 » Respondebit D. Paulus: Omnis doctrina diuina
 » nitus tradita, utilis est ad docendum, ad reclar-
 » gutionem, ad institutionem quæ est in iustitia,
 » ut integer sit Dei homo, ad omne opus bon-
 » num. Non ista præstare debent omnes istis, qui-
 » non

non uerbo tantum, sed reuera Christiani nominantur: ita sane. Num, si boni uiri est, præcepta de æquitate, de iustitia, de fortitudine, de modestia tenere: erit etiam multo magis, diuinam philosophiam cognoscere, quæ multo plus homini est necessaria? Illa enim ad humanam communitatem pertinet, hæc & ad diuinam & humanam: illa corpori tantum confert, hæc utrique, & animo & corpori: sine illa rusticè & incommodè uiuitur, sine hac impiè. Peregrini hominis, non ciuis est, leges suæ ciuitatis ignorare: nos uerò, qui in Christiana Republica uiuimus, cur non ciues quàm peregrini esse malimus? Sapienter Romani, ut alia pleraque, leges ad omnium usum allatas, omnibus inspiciendas, in publico sitas esse uoluerunt. Plato scripsit (Hieronymus in explicando Psal. 86. inquit) in scriptura, sed non scripsit populis, sed paucis. uix enim intelligunt tres homines. Isti uerò, id est principes Ecclesiæ, & principes Christi, non scripserunt paucis, sed uniuerso populo. Cur, rogo te, ego inquam, cur quæ omnibus scripta sunt, non ab omnibus legi possint? Quæ loquuntur libri sacri, omnibus conueniunt, ad omnes spectant: ergo ab uniuerso hominum genere legi possunt. A lectione testamenti neque heres, neque coheredes prohibentur: par enim est, ut æquè omnes testatoris mentem & uoluntatem in scripto co-

gnoscant: cur nos omnes omnis ordinis homines, qui Dei hæredes, et unâ cum Christo (ut Paulus inquit) hæredes sumus, à legendo testamento Dei (quæ sacra scriptura dicitur) arcebitur? Extat enim uoluntas Dei duobus uoluminibus quasi tabellis testata, & nota, quibus uulgo Testamenti nomen factum est: in alijs, quod prima uoluntatis diuinæ sententiâ contineatur, Vetus: in alijs, quia suprema & ultima, ideo Testamentum Nouum appellatur. Si ad arcam Fœderis, in qua Moses legis tabellas inclusit, animum referas, iudicabis certò scio, sacra uolumina potius uocabulo Fœderis quàm Testamenti nominanda esse: id quod alijs ex locis patet, & multi hodie eleganter & uerè sic Latinè uerti debere comprobant. hoc igitur nomen retineatur. Ictâ uerò fœdera utrinq; & ab eo qui conditiones dat, & ab eo qui accipit, proponi, uideri, audiri, legi, re-legi, diligenter solent, quæ postea ultro citroque examinata & comprobata, asseruari solent ad memoriâ initi fœderis sempiternam. Quid Deus, an non pepigit cum toto hominum genere fœdus de remissione peccatorum, & eius conditiones & pacta in librum hunc contulit, cui ab effectu nomen Fœderis datum est? Hic percutiendi Fœderis consuetudinem retineamus, utrinque diligenter legantur & examinentur conditiones, & ab accipiente

piente & dante. Qui sunt ij quibuscum factum
 est scædus? an Monachi solum? an ij qui pecu-
 liari nomine Theologi nominantur? an Ab-
 bates solum? an Curiones solum? an Pontifices
 solum? minimè herclè uerò: sed cum coquis,
 cum falsamentarijs, cum factoribus, cum texto-
 ribus, cum topiarijs, cum latomis, cum baiulis,
 cum uiris, cum scæminis, cum seruis, cum libe-
 ris, cum dominis, cum famulis, cum summis,
 medijs, infimis pactiones fecit Deus, cum om-
 nibus omnis loci, ætatis ac ordinis hominibus
 pactiones fecit Deus. Cum omnibus? maxi-
 mè. Cur ergo non liceat omnibus pactiones
 legere? His rationibus adductus acutissimus
 ac Græcorum præstantissimus Origenes, cum
 multis alijs locis, tum præcipuè Homelia duo-
 decima in Exodũ, admonuit populum, & ad-
 hortatus est ad studium sacrarum literarum.
 Verba autem eius sic habent: Quid ergo est
 conuerti? Si his omnibus terga uertamus (lo-
 quebatur autem de conuersione peccatoris ad
 Deum) & studio, & opere, mente, sollicitudine,
 uerbo Dei operam demus, & de lege eius die
 ac nocte meditemur. Omisiss omnibus Deo
 uacemus, exerceamur in testimonijs eius. Hęc
 sunt uerba Origenis: quæ sapientissimus uir
 non ad doctores, non ad Pontifices & Abba-
 tes, & Theologos, (qui uulgo nominantur)
 non ad monachos, sed ad populum in con-
 cione

cione publica in omnium auribus habuit. Quid
 Chrysoſtomus, quum ad plebem conciones faceret, nonne & is etiam omnes omnis sexus & ætatis homines, ad sacrorum Bibliorum lectionem adhortatus est? Declarauit hoc in Homelia tertia, quarti capituli in Ioannem, ubi his
 » uerbis loquutus est: Pudeat igitur nos, & cruci-
 » bescamus, quum quinque uirorum mulier &
 » Samaritana tantam in discendo adhibuit dili-
 » gentiam, ut ne quid diei tempore, neque alijs
 » occupationibus ab Iesu doctrina abduceretur.
 » Nos uerò, non modò nihil ad diuinarum re-
 » rum eruditionem inquirimus, sed in omnibus
 » secure & eodem modo afflicimur: propterea
 » omnia negligimus. Quis quæso nostrum, ubi
 » se domum receperit, aliquod Christiano di-
 » gnum opus aggreditur? quis scripturarum sen-
 » sus perscrutatur? nemo sanè, sed alueolos &
 » talos frequenter inuenimus, libros quàm rarissimos: quo si habent, ac si non haberent,
 » clausos in scrinijs seruant: uel omne suum studium in membranarum tenuitate, in literarum
 » characteribus quàm pulcherrimis consumunt: non ut legant, non ut usum inde alii-
 » quem consequantur, sed ut diuitias, ut ambitionem ostentent, in his student. Tanta est
 » uanitas & leuitas. Nullum ambiciosum audio, qui librum intelligat: sed aureas tantum li-
 » teras admiratur. Quid quæso hoc lucrifera? Non

Non propterea nobis scripturæ datæ sunt, ut in libris duntaxat habeamus: sed cordi inscul-
 pamus. Itaque hæc librorum possessio Iudaicæ
 ambitionis est, quibus in lapideis tabulis præce-
 pta data sunt: nobis nō ita, sed in tabulis cordis
 carneis. Non autē libros comparari prohibeo,
 sed admoneo, & maiorem in modum rogo, ut
 eos comparemus: ita tamen, ut literas & sensus
 frequēter animo repetamus, ut hoc pacto mun-
 dus efficiatur. Cui hæc Chrysostomus? an uni
 ordini? an uni hominum sexui? an doctis tan-
 tum? an Theologis tantum? minimè gentium:
 sed promiscuæ & infinitæ multitudini dixit.
 Ergo si his tot tantisque rationibus, & hominum
 gravissimorum testimonio et auctoritati aliquid
 tribuendum est, divinos libros omnibus legen-
 dos permittamus, neminem à sacrorum volu-
 minū lectione aut deterreamus, aut prohibea-
 mus. Sequitur quidem de contemptu locus,
 in quem existimas sacram scripturā, si uernacu-
 la lingua loquatur, incursum. Quam senten-
 tiam nōs duobus argumentis cōfirmas: & quod
 magna erit librorum copia, quæ in omnibus
 rebus contemptum parit: & quod in Theolo-
 gia (sic enim interdum libros sacros libet appel-
 lare) nulla addiscentibus difficultas proponet,
 qua difficultate quæ careant artes, eas uiles ia-
 cere arbitraris, atque cōtemptas. Ac ut ad ea que
 de copia dixisti, primū tibi respondeam, ui-

deris mihi homo aliàs perspicax, hîc non satis animaduertisse, quid inter admirationem atq; discēdi studiū aueritatemq; intersit: nec qua de causa disciplinarum studia colantur, perspexisse. Omnis enim admiratio cum studio uidendi & discendi coniuncta est, nec contra discendi studium ex admiratione manat, aut cum ea coniunctum suapte natura reperitur. Ducit enim uel optimus quisq; ad studia artium, non admiratione earum quas non intelligit, sed utilitatis spe adductus, ac præcipuè honoris ac glorię cupiditate. quod quoniam sole ipso est illustrius & clarius, probandum non putauim. Itaque non quæ admiramur (ut tu contendebas) sed & illa etiã discimus & amamus, à quibus aliquid uel utilitatis, uel honoris speramus: solet autem & honos & utilitas eos sequi, quorū industria in sacris literis excelluit: eoq; nō poterit non dici, & amari sacra scriptura, tametsi librorum magna sit copia. Ac si rē penitus inspicias, cognosces ab rerum copia & ubertate non semper fastidium gigni. Nam nemo unquam tantis fuit copijs, facultatibus, diuitijsq;, quin si aliqua fieret ad opes suas accessio, magnopere lætaret. Huc adde, quòd si ex frequentia & abundantia cōtemptus rebus crearetur, nulla res magis esset hominibus offensionis, quàm ipsi sibi ipsi mutuo, id est, homines hominibus. Semper enim & ubiq; magna est hominibus hominum frequen-

frequentia, Quid ego tot argumētis utor? Paupertatem, inopiā nemo nō fugit, tanquam malum: ergo copiam et ubertatem consecrabitur, ut bonū. Quod si uelis ad punctū temporis cogitationem referre ad utilitatem, quę per librorum multitudinem & frequentiam in humanę societatis communitatem importata sit, nemo est quin fateat, in Repub. Christiana complures libros sacros reperiri, esse quā utilissimū. Id enim nemo non uidet. Nam superiori ætate priusquam ars Typographica inueniret, quod ubiq; summa librorum penuria laboraret, propterea pauci admodum et ad studium liberaliū artium (quas uocant) & ad sacrorum uoluminum, animum adiunxerūt: & ex his perpauci fuerunt, qui in abditissimos quosq; literarū recessus penetrarint. Versabantur omnes in caligine, omnes cæci erāt: & si quis luscus inter eos amplius quā cæteri uidere potuisset, is oculatissimus, ac pro rege potius habebatur. Atqui his hominum doctrina atq; eruditio, in solis senibus, aut hominibus ætate prouecta reperiebatur: nam iuuenes & uiros aliquos progressus in artium disciplinis fecisse, prodigij instar erat. Nunc uerò ubi passim occurrunt libri, ubi tanta est copia librorum, quanta nunquam fortassis antea: non modò senes & uiri, sed adulescentes & pueri mirabiliter in omnis generis librorum lectione uersantur: atq; ita uersantur,
ut ex-

ut excellant. Quare non est quòd dicas, non oportere librorum magnā esse copiam. De facilitate artium quòd attulisti argumentum, eius generis est, ut à doctis, quoq; debeat maximè improbari. Nam si nemo nō laborem fugit, & uoluptatem sequitur: profectò facilitatem tanquam uoluptatem sequatur necesse est, & obscuritatem fugiat tanquam laborem ac dolorē. Est enim in labore propter eius qui agit perpersionem, quidam dolor: dolor autem in malis ponitur. Nec me Aristotelis exemplū mouet, qui (ut ipsemet testatur) obscuritatē in tradendis disciplinis uidet affectasse, quò ea quæ scriberet, in maiori et precio & honore haberentur. Fateor istud fuisse Aristotelis consiliū, atq; etiam cæterorum penè auctorum, qui Græcis literis scripserunt: quos omnes non possum nō uehementer reprehendere. Nam quum illud omnibus constet, omnes artes, omniaq; disciplinarum studia, eò referri oportere, ut societas hominum ad gerendas res cum priuatas, tum publicas instructior euadat: ineptè facere uidentur ij, qui non suis scriptis quantam possunt lucem adhibent, sed tenebras de industria offundunt. Nam pro alleuamento, curam & sollicitudinem mortalibus hominibus iniiciunt, quos omni labore, quoad eius fieri posset, leuare debuisse. Mihi certè quicumq; talia faciunt, immanes erga humanam societatem, & Reipub. perniciosi

perniciosa uidentur: propterea quòd naturam omnium rerum & ducē & parentē frustrantur suo fine, quæ ea nos conditione genuit, ut alijs alijs pro uili commodaremus. Nec uideo cur obscuritas à quoquam hominum approbetur, quum nemo nesciat, plus temporis, plus laboris, plus impensę difficillimis quibusq; tribui solere. Vnde hæc detrimenta in Rempub. inueniunt, ut & homines multū temporis perdant, multum laboris frustra insumant, multum pecuniarū dilapident: quę omnia propter librorū obscuritatem difficultatemq; necesse est ponantur, consumantur: perdantur. quod non est paruum Rempub. detrimentū. Quid item opus est longissimis commentarijs id ipsum explicare, quod tu paucis. senarijs uersibus aperire plane & aperte possis? Nec Aristoteles ipse non est præter cæteros de obscuritate, quam de industria consecutus est, uehementissimè reprehendendus: quòd in eo non solum humanam societatem fraudarit, sed sibi etiam ipse turpissimam inconstantie ac leuitatis notam inuulerit. Nam idem ipse reprehendit & damnat tradendarum disciplinarum obscuritatem, in libro illo qui de Analyti inscribit, et in libro Litigiosæ argumentationis, alijsq; in locis obscuritatis uerbum uerbo repudiat ac detestatur. Non igitur est quòd me uelis tam inconstantis hominis exemplo hac in re cōuincere. Teneamus igitur pro

pro certo & indubitato, quo faciliores fuerint
 artium disciplinae, eo chariores omnibus futu-
 ras, nec cōtemptui habendas. Sed age, quod tu
 uel obliuione, uel alia de causa facere noluisse,
 ut opinionem hanc de obscuritate Bibliorum,
 exemplo sacrorum auctorum confirmares, id
 ego, ut pro te faciā, in praesentia adducor. Gre-
 gorius in Ezechielem libri primi homelia sex-
 ta, sic loquitur: Magnae uerò utilitatis est, ipsa ob-
 scuritas eloquiorum Dei, quae exercet sensum,
 ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat
 quod capere non potest ociosus. Habet quoque
 adhuc magis aliud, quia scripturae sacrae intelli-
 gentia, quae si in cunctis esset aperta, uilesceret,
 in quibusdam locis obscurioribus tanto maio-
 ri dulcedine inuenta reficit, quanto maiori la-
 bore fatigat animum quaesita. Quae Gregorii
 uerba apertissime demonstrant, hoc obscurita-
 tem in diuinis literis necessariam esse, ne sorde-
 ant. Neque praetermittam Aurelij Augustini san-
 ctissimi et doctissimi uiri testimonium, qui hac
 eadem de re idem quod D. Gregorius iudicat
 cum sic diceret: Ea uerò quae in mysterijs occul-
 tat (loquebatur autem de sacra scriptura) nec
 ipso eloquio superbo erigit, quo non audeat ac-
 cedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pau-
 per ad diuites; sed inuitat omnes humili sermo-
 ne, quos non solum manifesta pascit, sed etiam
 secreta exercent ueritate, hoc in proptis quod
 in recon-

in reconditis habēs. Sed ne aperta fastidirent, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimant. Recitavi memoriter hæc duo & Gregorij & Augustini testimonia, quæ pro te maxime facere uidebantur: quibus quid respondeam, audi. Ego uero & Gregorium & Augustinum ut sanctissimos uiros ueneror, ut Theologos publicæq; institutionis Christianæ insignes & singulares magistros audio, suspicio, amo, colo: attamen nullam mihi sententiã probãdam duxi uel Gregorij uel Augustini, quia Gregorij aut Augustini ea sit: sed quia uel firmis rationibus innixa, uel sacrorum uoluminũ testimonio adducta comprobetur. Idem de cæteris auctoribus dictũ uolo. Homo sum, id est, dialecticus, quem non deceat in iudicio de rebus faciendo ueritatem auctoritati hominum posthabere: ueritas enim omnibus longè præponderat. Sit Gregorius, sit Augustinus proximè & secundum Apostolos Petrum & Paulũ in Theologia excellentes: siquid his rectius infirmus quispiam de plebe dicat, erranti Gregorio & Augustino imperitum & uilissimũ illum de plebe benè sentientem longè preponã. Vincat enim sanctissima ueritas: & huic uni omnium hominum, ducum, regum, imperatorũ, principum & sapientium uirorum auctoritas cedat, fasces demittat. Id enim & Cyprianus, et Tertul-

Tertullianus, & Hieronymus & quotquot alij
 scripserunt siue in Theologia, siue extrâ, ma-
 gno consensu approbarunt, nec hominum au-
 thoritate quenquã flecti uoluerunt. Quod Au-
 gustinus omnium maximè secutus est, ut ex his
 eius locis poteris colligere. Is enim in quadam
 ad Fortunatum epistola sic ait: Neque quorum-
 libet disputationes, quanquam catholicorum &
 laudatorum hominum, uelut scripturas canoni-
 cas habere debemus, ut nobis non liceat, salua
 honorificentia, quæ illis debetur hominibus, ar-
 liquid in scriptis eorum improbare atque respue-
 re, si fortè inuenerimus quod aliter senserunt
 quam ueritas habet, diuino adiutorio ab alijs
 intellecta uel à nobis &c. Talis ego sum in scri-
 ptis aliorum, quales uolo esse intellectores me-
 orum. Idem Augustinus in literis quibusdam
 ad Hieronymum, his uerbis loquitur: Ego enim
 fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris
 qui iam Canonici appellatur didici hunc timo-
 rem, honoremque deferre, ut nullum eorum au-
 thorè scribendo aliquid errasse, firmissimè cre-
 dā. Aut si aliquid in eis offendero literis, quod
 uideatur contrarium ueritati: nihil aliud quam
 mendosum esse codicem, uel interpretem non
 assequutum esse quod dictum est, uel me mini-
 me intellexisse, non ambigam. Alios autem ita
 lego, ut quantūlibet sanctitate doctrinæ præ-
 polleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita
 censerunt.

censerunt: sed quia mihi uel per illos auctores
 canonicos, uel probabili ratione quod a uero
 non abhorreat persuadere potuerunt. Idem e-
 tiam in epistola quadam ad Vincentium, ad
 hunc modum scripsit: Noli ergo frater contra
 diuina, tam multa, tam clara, tam indubitata te-
 stimonia colligere uelle calumnias ex Episco-
 porum scriptis, siue nostrorum, sicut Hilarij: si-
 ue antequam pars Donati separaretur ipsius u-
 nitatis, sicut Cypriani & Agrippini. Primò
 quia hoc genus literarum ab auctoritate cano-
 nis distinguendum est. Non sic leguntur, tan-
 quam ita ex eis testimonium proferatur ut cõ-
 trã sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapue-
 rint, quam ueritas postulat. Et in libro Retra-
 ctationum sic scripsit: Negare nõ possum, nec
 debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa in tam
 multis opusculis meis quæ possunt iusto iudi-
 cio & nulla temeritate culpari. Hactenus Au-
 gustinus. Ex quo euidentissimum est id, quod
 paulo antè dicebam, solam ueritatem charissimam
 nobis esse debere, neque hominum aucto-
 ritati plus fidei esse tribuendum, quam ipsi sibi
 argumentis certissimis cõparare poterunt. Ho-
 mines enim tum à Deo, tum à dialectica sic ad-
 monentur, ut non hominum authoritate tan-
 quam principum decretis ueritatem stabiliant,
 sed firmissima, certissima ac maximè indubita-
 ta syllogismorum regula, cui maximè creden-
 dum est.

dum est. Rationes igitur & Gregorij et Augustini, quibus adducti existimabant obscuritate sacrarum literarum fieri, ut ne hominibus forderent, cōsideremus. Leuissimas eas (pace tantorum uirorum dixerim) leuiss, inquam eas rationes reperiemus: quod quoniam nemini nō perspicuum est, id ego mihi prætermittendum putauī. Adde quòd, si attentè considerasti eorū opiniones, dum à me proferebantur, tibi existimo esse quàm notissimas, neq; te hac in re mihi non concessurum. Quanto nos ad religionem Christianam & commodius & sanctius & uerius iudicamus, qui tenebras & difficultatem sacrorum uoluminum in eam sententiam interpretamur, ut & in Dei honorē, et ad hominum excitandam charitatem cedat: Non enim uoluit Deus tenebras offundere scripturis suis, ne (ut Gregorio & Augustino uidetur) hoc ipso quòd apertæ essent, forderent: sed ut exerceret studium hominum apud se gratiosorum, piorumq;: simul ut magnitudinem suorum erga homines beneficiorum testatā relinqueret, atq; commendatam. Nam dum alijs quædā per beneficium aperit, alijs patefacta non uult: ijs quibus clarius Spiritus sancti lumen illuxit, habēt in quo Christi talenta augeant, fraternæq; charitatis officium præstent. Et ijs qui non tantumdem habent lucis, causa datur confugiendī ad diuinā opem: & ad eos, in quibus cognitionē sacrarum

sacrarum literarū uiderint, adeundi, colloquen-
 di, cōsulendi, rogandi, communicandi. Sic sit,
 ut Deo honos reddatur, & homines commu-
 nis officij & meritorum caussa, ament inter se:
 quæ duo sunt Deo quàm gratissima. Hæc mea
 est sententia, de obscuritate sacrarum literarū,
 quā auctoritati D. Gregorij diuicq; Augustini
 nō dubito antepone. Est enim magis quàm
 illorum pia, ut quæ ad Dei honorem omnia re-
 ferat. Quare retineamus illam quam ego priu-
 cipio posui sententiam: quo faciliores erūt om-
 nes omnis generis litere, ac potissimum sacre,
 hoc in maiori precio habitū iri: colentur, discē-
 tur, amabuntur. Neq; est cur credas, frustra in
 Repub. Christiana doctores Euangelij & con-
 cionatores affuturos, si in uernaculam linguā
 Biblia transferantur. Non enim quicumq; ea
 legunt, protinus intelligunt: nec si intelligant,
 omnes in doctos & spectatæ doctrinæ uiros
 promouentur. Quemadmodum enim de mul-
 tis his qui scholas publicas frequentant, nō om-
 nes qui publicas prælectiones audiunt, in uiros
 doctos abeunt: ita neq; hi qui in sacrarum lite-
 rarum lectione assidue & continuo labore uer-
 santur, sic omnes proficiunt, ut nullius opera et
 auxilio indigeant. Sunt enim multa (fateor) in
 sacris literis, quæ lucem & præceptorem maxi-
 mē desiderant, quæ non nisi ab exercitatis in-
 telligi possunt: sed ea eius sunt generis, ut ad sa-
 lutem

ludem humanam parum conferant: nam quæ
sunt ad salutem pertinētia, ea ut res ipsa docet,
et Augustinus iudicat, facillima sunt ad intelli-
gendum. Est item natura humana in cōtinua-
tione & serie quadā sempiterna, ita ut semper
homines in cursu perpetuo & successione ali-
nascantur, alij intereant: alij pueri, alij iuvenes,
alij uiri, alij senes, alij alius ætatis sint. Itaq; ta-
metli omnes qui per ætatem poterunt, sacra uo-
lumina penes se habeant: non tamen ea omnes
intelligent, quoniam non erunt in ea satis uer-
sati: ob eamq; rem alterius ope indigebunt, ex
quo fit, ut semper doctores in Ecclesia requirā-
tur. Nec, quamuis omnes legant scripturam,
sicuti antea dixi, omnes eam perfectè discant:
ita de multis dubitabunt, multa pro incerto ha-
bebunt, in multis fallentur. Possunt multa
legere, multa disputare, modò piè & citrà
curiositatem: possunt de singulis sciscitari, cau-
sas accipere atque reddere. Et ut non omnium
cuium est posse de singulis iuris quæstionibus
respondere, ea enim functio Iurisconsultorum
est: at ignorare leges quibus uiuendum est, &
prima eius iuris capita quo cum ciuibus utro-
porter, peregrini, non ciuis est, aut ignari sanè
& improbi ciuis. Tam paruum uolumē sacro-
rum librorum, in quo continetur scientia bene
beateq; uiuendi, in quo etiam traditur uera co-
gnitio Dei, nemo quamlibet à literarū studijs
remotus

remotus, legere & uersare nō debet: si nō quotidie, diebus saltem festis legere debet. Ex cæcitate & deplorati Iudei studiose istud faciunt: quis igitur se segniores Dei cultorē declaret, quàm populum hunc reiectum, ac extrema cæcitate percussum? Si omnes essent ea doctrina Christiani homines, ut per se sine alterius auxilio diuina uolumina intelligerent, essentq; planè doctoris uocabulo digni, quid tum inde? num sapientes omnes esse noceret? essemus similes bonis genijs. Vtinam isto nos malo & incommodo urgeres, ut ea potissimū re, quòd omnes in Repub. Christiana homines saperent, nec doctoribus indigerent ad docendum, prohibenda esset sacrarum literarum in uernaculam linguam translatio. Istud ne tibi incommodū uideatur? istud ne tu tantopere formidas? istud times? Quorsum in Republica doctores? quorsum cōcionatores? an nō ut omnes promiscuè & indifferenter imperitiā quasi exuant, induantq; sapientiam? Si omnes intelligerent bene uiuendi rationē, si omnes diuina uerè saperēt, non esset opus cōcionatoribus, nec magistris, nec doctoribus, utpote qui talibus instrumentis ad sapientiam non egerent. An paruis sumptibus Respub. alleuaretur? stipendia nulla essent, non tot domus, tot agri, tot homines uectigales propter studia artium conseruanda: nec homines in perdiscendo tot sumptus, tot labores, &

res, et interdiu et noctu ponerent. Quòd si hoc nomine doctores Theologiæ frustra uidebunt tibi in Repub. constituti, quòd iam non erit opus institutore ad perdiscenda Bibliá, si uernacula loquantur lingua, quanquam id quale futurum sit, iam satis arbitror explicatum: tamen aduerte quàm dissenteant ea rationi loquaris, qui eodem isto argumento omnes omnium artium libros è uita tolli debere concludas. Nulla est enim artium facultas, nulla disciplina, quam nõ doceant infiniti propè magistri cum priuatim, tum publicè. Sed de hoc satis: ad aliud argumentum, quod est de obscuritate sacrorum, uoluminum accedamus. In quo mihi uideris sic rationem instituisse, ut diuinam scripturam difficillimè intelligi posse arbitraris. Ego uerò longè à te dissentio, atq; in ea sum sententia, ut credam diuinas literas facillimas esse intellectu: quam quã non ignoro esse quædam loca, quæ à paucissimis, uel à nullo potius intelligantur. Ea autem sunt paucula quædam uaticinia, quæ hoc ipso obscuritatem & caliginem habent, quòd nulli ea patefiunt antequam euentum consequantur, nisi his quos singulari beneficio suo Deus talia uaticinia uoluerit aperire. In ueteri igitur Fœdere, quæ sunt edita uaticinia de Christo, de gratia, de Hierosolymorum euerfione, de Synagoge destructione, de regno satanae, de Ecclesiæ ortu, successu, & aliqua parte exitus: quoniam

quoniam omnia sunt sursum exitū consequuta,
 ea nemini non sunt clara & aperta, si uel me-
 diocris opera & labor in eo ponatur. At quæ
 nondum facta sunt, & fieri debent sub quartæ
 Monarchiæ temporibus, qualia sunt quæ à
 Daniele uate in fine undecimi capituli dicun-
 tur, & à D. Ioanne in Patefactione, ea non
 prius ab hominibus intelligentur, quàm ad exitum
 perducantur. Etenim prophetiæ omnes uel
 ipsum Satanā latent, donec confiant. sicut De-
 us ad Moſen ait: Faciem meam uidere non po-
 teris, posteriora aut tergum meū uidebis. id est, cc
 Vbi absoluero atq; perfecero quod uolo, tum cc
 poteris uidere post me, hoc est, quid fecerim.
 Verūm faciem meam, hoc est, quò tendam &
 quid uelim, quid acturus sim, id nemo morta-
 lium dum in uita manet, uidere potest. Itaq; hu-
 iusmodi locos æquè docti ac indocti, æquè sa-
 pientes ac insipientes, æquè boni ac mali, æquè
 uiri ac femine nesciūt, ignorant. De his igitur
 nō est quòd in præsentia loquamur, sed de alijs
 locis, id est, de uniuersa penè sacrorū uoluminū
 lectione, quæ, meo iudicio, omnibus facilis est,
 omnibus aperta: aut siquid habet difficultatis,
 id eius generis est, ut tum ope diuina, tum me-
 diocri hominum labore, facillimè possit supera-
 ri. Nam Deus se mirè ad nostrum captum at-
 temperat, & quasi demittit. quod patet ex hoc
 ipso, quòd Christi doctrina similitudinibus,

exemplisq; referta sit & ouium, & pastorū, &
 uinearum, & aratorum, & agricolarum, & se-
 minum, quibus nihil habemus in uita ad homi-
 num opinionē uilius. Nam tam abiecta sunt
 (loquor autem de quorundam hominum opi-
 nione) ut aulicus non ausit talia exempla &
 parabolas afferre, tanquam se indignas; malit
 enim ex secreta & recondita uī atq; natura her-
 barum, lapidum, aquarum, fontium, quā e-
 tam crassis illis explicandi formis quicquam as-
 perire desumpta similitudine. Huc accedit ho-
 minum cōmunis opinio, quæ ita statuit, quod
 à similitudine ducitu rargumentū, illud ad ho-
 mines crassos & rudes esse aptū atq; accōmoda-
 tum. unde uilissimum omnīū argumentū esse
 perhibetur. Qua uia & ratione rerū explican-
 darū, cum semper & ubiq; utatur Christus, uol-
 uit nimirum se ad nostrum captum demittere,
 ut quæ sublimia & difficilima ex se suāq; natu-
 ra essent, ea per exemplorum & similitudinum
 crassam explanationem, non solū intelligeres-
 remus, sed quasi manu tractaremus. Vnde
 » Christus ipse Nicodemo dixit: Si, quum terre-
 » stria uobis dixerim tamen nō creditis, quomo-
 » do si dixerim, uobis cœlestia credetis? Loque-
 » batur autē Christus de secūda hominis renouatio-
 » ne, de fide ipsi habēda, & uita sempiterna: quæ
 tres disputationes difficillimæ in Theologia
 censentur. Has iudicat Christus terrestres, id
 est, faciles,

est, faciles: uidelicet quòd per similitudines earum tractationem breuiter esset complexus. Quòd si tres illæ quæstiones de sententiâ Christi faciles sunt, quid de alijs iudicandum est? Mihi quidē sola Dei cognitio difficillimā omnium quæstionū uidetur habere tractationem, cūm propter Dei naturam, quem humana mēs non capit, tū quòd de eo ac de rebus cœlestibus omnes auctores Fœderis & ueteris & noui paucissima literis mandauerūt. At hæc, quoad eius fieri potest, hoc est, quantum humana mēs capere potest, facilè ex locis multis colligitur atq; intelligitur, cūm ex rerū creatarum ordine, & numero, & excellentia, & uarietate, & constantia: tum ex his quæ per diuinam patefactionem scriptis nobis testata sunt. Itaq; si in his, in quibus maxima obscuritas esse deberet, nulla est, quid quæso de cæteris omnibus iudicandū est? Quis melius excellentissimo Dauide ista nouit: at in hanc sententiā is ita loquutus est: Doctrina Dei simplex est, testimonium Domini solidum est, sapientes reddit etiam rudes. Quid opus est uerbis? Certè indocti hominis, aut intemperanter ocio abutentis, aut malitiosi, aut fanatici impostoris est, quum professus sis te traditurum legē bene uiuendi, Deumq; colendi, & legem ad omnes pertinentem: si eam scribis adeo ambiguè, implicite, intricatè, obscure, ut non facile eam quiuis possit intelligere. Indo-

ctus enim, per inſcitiam nec ordinem ſeruat,
 nec ſuo rem loco tractat, nec exemplis illuſtrat.
 ex quo difficultas omnis manat. Ocio item qui
 abutuntur, ut tempus leui oblectatione tranſi-
 gant, facillima quæq; turbant, & ueritatem ran-
 quam Minotaurum in implicatum Labyrinthum & mæandros inaccessibiles includunt:
 ut quemadmodum ea meditatione malè tem-
 pus ipſi collocarint, ita & cæteri omnes operâ
 tempusq; perdant, habeantq; crucem, qua ma-
 lè torqueantur. Itaq; hi quæ poſſunt clarè, dilu-
 cidè, planè, apertè: ea de induſtria obſcurè, con-
 fuſè, perturbatè tradunt. Qui malitia laborant,
 ij omnibus inuidēt omnia: eaq; de re ſiquid uel
 ſponte, uel uoluntaria ui, in Rempub. confe-
 runt, id ea uia atque ordine explicant, ut non
 niſi pauciſſimorum quorundam hominū poſ-
 ſit uſibus inſeruire. Impoſtores autem, ut cau-
 tiùs, ſecuriùs, & faciliùs imponant plebi, om-
 nia ſua dicta, omnia ſcripta, omnia facta, tan-
 quam plena religionis myſteria in uolucris, an-
 fractibus, circuitionibus, & ut uerè dicam, præ-
 ſtigijs quaſi in altiſſimam terram excaurant atq;
 occultant. Quid horum Deo tribuemus: in ſci-
 tiâm ne: at eſt ipſa doctrina, ſcientia, ſapientia.
 An malitiâm: at eſt ipſa bonitas. An præſtigias
 & dolos: at in Deum iſta cadere non poſſunt,
 quòd ipſe ſit confuſio & deſtructio errorum,
 uia errantium, lux ipſa lucidiſſima. Itaq; ſi quis
 hoc

hoc Spiritui sancto, bonorū omnium largitor
 ri benignissimo, tribuat, eū edidisse nobis Va-
 tum & Apostolorum libros obscuros, implica-
 tos, ambiguos, incertos, execratio fuerit imma-
 nissima. Quare non est scriptura sacra (quod
 tibi uidebatur) obscura & difficilis: sed clara,
 aperta, facilis. Quid dicam de illo alio argu-
 mento, Achille scilicet inuictō, ut dicere sole-
 tis: Superbum est, & non quouis homine di-
 gnum, Theologum dici uelle? Quid ego au-
 dio: Vtrū est maius, Christianūne, an Theo-
 logum dici? Christiani nimirum nomen nemo
 negat & maius, & melius, & excellentius esse:
 tum propter eum à quo nomen istud in nos de-
 riuatur, qui est Christus, caput, fons, origo, &
 auctor salutis nostrę: tum quòd Theologiæ no-
 mē in usu fuerit iam olim apud populos à Dei
 cultu alienos, homines prophanos, homines
 contentiosos, cōtumaces, perniciosos non suæ
 Reipublicæ modò, sed uniuerso etiam orbis
 qui Theologiæ uocabulum usurparunt, Theo-
 logiq; nominabantur. Christiani autem titulo
 omnes homines insignimur: eo appellari ne-
 fas non solū non ducimus, sed etiam lauda-
 bile esse & piū arbitramur: quid est, cur Theo-
 logiæ uocabulum nō cuius imponendum esse
 uana superstitione arbitremur? Vera Theolo-
 gia nihil est aliud, quàm Deum cognoscere, &
 eius filium Iesum Christum, habereq; regulam
 bene

bene beatèque uiuendi: quam quicumque ha-
 bent, nescio quid sit cur Theologi dici nõ pos-
 sint, At Platonis, Aristotelis, Epicuri, Stoicorũ
 placita quicumque tenent, hi nomen suæ sectæ
 gratiosè usurpant, id quod nemini denegatur.
 Mahumetæi, quoniam Mahumetis dogmata
 & legem seruant, ab eo nominantur. Quod his
 hominibus conceditur in hominum præceptis
 cognoscendis, & falsa religione obseruanda: qui
 fit, ut nobis Dei legem profitentibus, & ueram
 religionem profitentibus, Dei cognomine ho-
 nestari & decorari nequeamus? Seruant hoc
 Augustiniani, Benedictini, Franciscani, Basili-
 liani: seruant item milites in bello, quum à du-
 ce suo, cui nomen dederunt, nomen gestant:
 cur nos, qui Dei sermonibus & cognoscendis,
 & interpretandis, & eius mandatis exequen-
 dis operam damus, cur inquam nos sumpro à
 duce nostro uocabulo, non eo honestabimur?
 an non omnes Christiani unum Deum profi-
 temur? an non eum cognoscere debemus? an
 non omnes decet bene uiuendi rationem ha-
 bere cognitam atq; perspectam? decet, & qui-
 dem uehementer decet. Ergo licet omnibus
 Christianis appellari Theologis. Dei beneficio
 sumus, uiuimus, mouemur, stamus, bonis ani-
 mi, corporis, & fortunæ abundamus: Dei erga
 nos amore & beneuolentia à seruitute & ty-
 rannidæ Satanae, cui miserè inseruiebamus, gra-
 tuitò

tuitò liberati sumus. His de causis Deum præ-
 ter omnia amare ac diligere ex animo, totis ui-
 ribus, toto peccore debemus: & eius legem, le-
 gem uitæ æternæ, quæ nos ad salutem ducere
 potest sempiternam tulit: ob eam rem, nulla
 professio magis homini propria esse debet, quàm
 Theologiæ. Hic mecum considera hominum
 conuetudinem. Qui argentariam faciunt, ar-
 gentarij: qui piraticam, piratæ: qui mercenariam,
 mercenarij: qui militiam exercent, milites: qui
 grammaticam operam nauant, grammatici: qui
 dialecticam, dialectici nominantur: atque ita de
 reliquis deinceps. cur idem in Theologia om-
 nibus facere non liceat: præsertim cum, ut à me
 ostensum est, omnes Christiani in Theologia
 ueruari debeant, & quemadmodum Christi no-
 men, ita etiam Theologiæ accipere debeant:
 Superbi, inquis, est, agnoscere & profiteri
 quenquam tantum titulum tantamque legis di-
 uinæ cognitionem. Itane uerò: Superbum est,
 quod tu debeas gerere munus, illud profiteri?
 Si superbum est tali titulo insigniri, id nemini
 non erit uitio uertendum, si tantum nomen,
 tantum titulum ausit usurpare. Ergo Theologi
 nulli hominum aut dici potuerunt, aut possunt,
 aut poterunt, quantum uis morum probitate et
 uitæ sanctimonia præstent atque excellant. Er-
 ras, mihi crede, si sanctissimum conatum, &
 sanctissimam professionem Theologiæ, cuius
 nomen

nomen pietatis plenum est, superbix titulo sce-
 des, & macules. Laudabilibus & gloriolis res-
 bus turpia imponis nomina. Nā reuera pium
 est, omnes quicumque Christum profitentur,
 eos Theologos nominari: & non nominari
 impium atque irreligiosum. Primum propte-
 rea quod uideantur erubescere, atq; adeo ipso
 pudere Theologiæ sanctissimi nominis: de
 quo non sua, sed Dei causa gloriari deberent.
 Deinde quod, dum tale nomen formidant, ui-
 dentur tacito quodam consensu confiteri, se be-
 nē beateq; uiuendi rationem, id est, legem di-
 uinam non tenere: ac propterea à tali nomine,
 cui nō sint ipsi pares, quum nihil minus quam
 eius officij munus expleant, fugere. Postremo,
 quod uideantur beneficia Dei, quæ oportebat
 omnibus aperta fieri, celare & occultare: in
 quo Dei gloriam obscurant, quo nihil mihi
 magis uidetur impium. Nam quum omne
 quodcunque præclarum & excellens in nobis
 sit, id per Christi beneficium habeamus (nati-
 dici nostrum, ut probat D. Paulus, nullo modo
 potest) si quum scientiam & doctrinam bene
 uiuendi nacti fuerimus, quæ uera Theologia
 est, nec Theologos nos profiteri audeamus,
 quid aliud est, quam ingentia ac singularia Dei
 beneficia uel negligere, uel non agnoscere, uel
 dissimulare, uel occultare? Decet autē omnes
 nos & bene uiuere, & bene uiuendi præcepta
 intel-

intelligere, & potissimum rationem Dei comprehendendi tenere (quibus tota Theologia comprehenditur) ergo omnibus licet uocari Theologos. Quæ hæcenus contra te disputauimus, ea tâta luce caliginẽ tuam oppleuerũt, ut maiorem nullam (arbitror) capere possint. Faciam ut intelligas, non minorem lucem his quæ suspirant allatam esse fatearis. In quo illud mihi risu dignissimum uidetur, quòd iudices, imò uerò quod probes, & conuincere multis argumentis tentes, hominibus idiotis & imperitis sacram scripturam non esse concedendam. Quod quamobrem dicas, nullo modo possum intelligere. Nam si quòd imperiti sint, propterea ipsi interdicienda est sacra scriptura, non uideo cui eam possis legendam permittere. Non enim quisquam admittetur posthac, nec antea admitti debuit ad sacras literas: quum nequaquam rudis earũ & ignarus esset. Quis enim non ante ad sacras literas animum applicet, quin antea rudis earũ & ignarus esset. Quis enim non ignorat Theologiam, antequã ad eius studium animum appulerit? An nascimur doctrinis eruditi? nihil minus: nam nemo, quod ueteri proverbio dicitur, nascitur artifex, omnibus caligo lucubrationum est imbibenda, omnibus est insumendus labor: omnes debemus & interdũ & noctu summa ope nitĩ ac diligentia, si aliquid uolumus in disciplinis artium proficere. Quid tu iudices, ex his cognosce:

non

non enim tradí uís sacram scripturam, nisi his,
 qui idiotæ non sint: idiotæ uerò omnes sunt,
 antequam discant: ergo nemint ea conceden-
 da est, Hæc non uides? hæc te non pudet di-
 cere? horum te non piget? Mihi quidem ne-
 mo magis accedere ad sacrarum literarum le-
 ctionem debere uidetur, quàm homo imperi-
 tus, & idiota. Nam quum omnes artes, om-
 nes libri scripti, quacunque de re sunt scripti,
 eò tendant, eò dirigantur, ut humanum iudic-
 tium acuant, ignorantiam de hominum iude-
 tibus tollant, mores hominum forment, & ad
 honestatem dirigant: profectò quicumque im-
 peritos homines à sacra lectione semouent
 hoc mihi facere uidentur, ut imperiti ignoran-
 tiam nunquam deponant, sed in erroribus
 semper uersentur, falsa que opinionum prauis-
 tate. Quod perinde est, ac si cibus & potio is
 denegetur, qui fame & siti miserè cruciantur.
 Non ne imperiti homines doctrinam, præ-
 sertim morum formandorum, quæ omnium
 præstantissima in sacris literis explicatur, sine
 & esuriunt: maximè. Cur ergo his scriptura sa-
 cra denegatur? Nudum uestire hoc ipso debe-
 mus, quod nudus sit: nam si uestes haberet, ue-
 stimentis non egeret. uos uerò idiotas, qui nu-
 di sunt omni disciplina cœlesti, cur non finis
 uestiri sacram scripturam? quo indumento qui
 animus non est indutus, & æstate caloribus
 aduritur.

aduritur, & in bruma frigoribus concrefcit, & quasi in durum lapidem rigescit. Hæc tu, ut uideris, non animaduertisti, ut & alia multa. Rationes porrò, quibus ad id dicendum ducebaris, si placet, consideremus. Idiotarum tria faciebas genera, quantum ex multiplici tua personarum distinctione colligere potui: ut alij pueri sint, in quibus & puellæ continentur: aliæ mulieres, alij perfecta ætate uiri censeantur: quos omnes longè à sacris uoluminibus ablegabas. In quo non possum nõ uehementer à te dissentire atque discrepare. Afferebas enim rationes fuitiles, & eas quæ interdum tacitū mihi risum moueant. Sed quibus argumentis in istā sententiam trahereris, ex ore tuo referā: quem admodum tu illa attulisti, eodem ordine ego illis uniuersis & singulis respondebo. Sunt, inquis, pueri nullo iudicio, nulla industria: ob easq; causas censeo ineptos omnino esse ad sacrarum literarum intelligentiam. Quid si dicam, plus sapere nostra ætate pueros, quàm superioris ætatis memoria saperēt uiri, ne dicam senes: Prudentia mihi crede, atque iudicium, non annis & temporis longinquitate comparatur: nam uideas octogenarios pueros plerumque, & senes qui non plures supputent decem annis. Et si tempus afferret hominibus maturitatem iudicij atque prudentiam, & ad percipiendas res quasque habilitatem, nunquam

profectio deliros senes uideremus, nec ineptos
 & indociles. Aristotelem, cuius exemplo satis
 armatus contra me tibi uidebare, quod pueris
 philosophiam de Moribus interdixerit, non
 possum non maximopere reprehendere: quan-
 do quidem nulla aetas officij muneribus uacare
 debet. Quid aliud est morum philosophia, quam
 morum recte instituendorum certa quaedam
 magistra, ac recta regula? Quod si haec mores
 format, corrigit, componit: ubi maximè est pe-
 riculum corrumpeendorum morum, ibi maximè
 moralis philosophia requiritur ac desideratur.
 Est enim morum medicina. Vtri magis medici-
 na indigēt, qui prospera ne, an q̄ aduersa utun-
 tur ualitudine? utris horum medicus accersen-
 dus est, his ne qui imbecilli sunt corpore & a-
 groto, an his qui robusto & firmo? certè a gro-
 tis medicina adhibēda est, ac propterea ad hos
 maximè sunt medici accersendi, cōuocandi q̄.
 Ethica morum imbecillitati, agridudiniq̄ me-
 dicinam facit, ergo quicumque eam pueris ne-
 gant quasi medicinam maximè omnium ne-
 cessariam eorum saluti negant. Ex quo latissi-
 mē patet, quantopere Aristoteles ista in re non
 inquam allucinetur, sed planè caecutiatur. Sed te
 cerit Aristoteles, dixerit que id suo arbitratu
 (quod ego non probo) pueris tamen ego non
 modò libros sacros non negarim, sed etiam ob-
 truserim: idq̄ multis magnisq̄ de causis. Pri-
 mum,

mum, quod hi incipient habere charos eos libros, quos à pueritia legent: & quod tu ames à teneris annis, id ad extremam usque senectutem penes te retinere uelis, nec abs te ullo modo seungi patiaris. Deinde,

*Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.*

Reliqua tu nosti: eaq; re optimis quibusq; debet pueritia assuefieri, quod qui mores pueri imbiberunt, eos per omnem uitam conseruat, tametsi malos & perniciosos: nec si sint illis de discendi & exuendi, facile id præstare possunt: citius frangantur, citius intereant, quam mores ueteres deponant. Quem ego locum si uelim suis ornamentis illustrare ac dilatare, nullus foret exitus. Mox, quia si bonis & officiosis rebus pueri sint assuefaciendi (quod omnes uno ore fatentur & approbant) quum nulla res, nulla doctrina, nulla cognitio non cedat de nobilitate, de excellentia, de utilitate literis diuinis: si alijs libris pueri debent assuescere, omnium maximè diuinis. Neque est quod mihi illa obijcias, pueros non esse idoneos ad talem tantamq; lectionē: nam ego eos rationis compotes uideo, qui & acutè ratiocinantur, multa excogitant præclare, & multa iudicant maturè: res rebus comparant, facile discunt, & fideliter retinent quicquid memoriæ commendarint, in quo uiris illa ætas maximè antecellit. Quid?

Grammaticam & Latinæ linguæ, & Græcæ,
 & Hebrææ: adde etiam Dialecticam, & Rhetoricam,
 & Philosophiam, quæ illa ætas capit, & intelligit:
 quid nî etiam Theologicos libros possit intelligere:
 Quæstiones spinosas, obicritate immerfas,
 contentiones infinitas philosophorû,
 & rebus & uerbis inter se discrepantium uidet,
 intelligit, discernit, iudicat: quid nî etiam in sacris literis
 idem præsent: Quo loco maximè reprehendendus est
 Aristoteles, quoniam quum uideret suæ memoriæ pueros
 antè in Mathematicis disciplinis erudiri, quàm ad alias artes
 accederent: non dubitauit tamen affirmare, eos esse à
 philosophia morum semouendos. Quid quæso difficilius,
 philosophiam memorum, an mathematicas cognoscere: ne
 mo dubitat, quin in mathematices literis ediscendis
 & plus ingenij, & plus memoriæ, & plus iudicij
 requiratur. Ergo, ut uideamini tu cum tuo Aristotele,
 difficillima quæque digna puerorum cognitione
 iudicatis: & contra facilissimas, scommata,
 alias resturpes, quas non opus est commemorare:
 quid est cur non Euangelicam possint intelligere:
 quam si non perfecte, attamen utcunque intelligent,
 præsertim quum non debeant contendere, clamare,
 & rixari, ut in schola Theologi: sed sint ita animandi,
 ita instituendi, ut firmiter credant,

dant, quæcunque in historijs & Apostolicis & Propheticis legerint, ea omnia uerissima esse: sic fiet, ut ueritatis omnium summè sacris literis tribuat auctoritatem, & ut unà cum ætate cognitio legis diuinæ crescat & augetur. Has ob causas Iudæi filijs suis mox ab utero natis, & proponebant olim, & hodie etiam proponunt libros sacros ediscendos: ita ut maiorem & ueriores legis suæ cognitionem duodecimo ætatis anni pueri haberent, quàm nostra ætate senes grandæui suæ. Utinam hîc imitemur Iudæos, qui Christum Iesum, quum nihil adhuc diuinitatis in eo suspicarentur, puerum tamen de diuinis literis secum disputare patientur, Iudæi homines superstitiosi, & de Dei cultu ac religione admodum solliciti, non agrè ferebant puerum disputantem de libris sacris, quin potius attentè audiebant: & nos Christiani homines, pueros scripturam sacram legere non sinemus, aut iudicabimus ad huiusmodi lectionem non esse eos idoneos? Pharisæi, scribæ, pontifices, sacerdotes, legem Dei tenebant, ac de ea gloriabantur: interrogati de loco, ubi nam Christus nasceretur, testimonia uera ex sacris literis adducebant: sed tamen Christum non agnouerunt, quum eum pueri & citius & melius agnouerint, ac ei reddentes iustum ac debitum honorem, Hosanna Dauidæ clamarent. Vides ergo, quæ non intellexerint

sint tot millia uirorum, & quidem doctissimorum, hoc unum pueros intellexisse? pro quibus Christus agit gratias Deo patri, Gracias ago tibi pater, quod ista celaueris adultos, & reuelaueris pueris. Itaque pueri etiam possunt cœlestia mysteria intelligere. Apostolos reprehendit Christus, quod pueros prohiberent adire se; Sinite, inquit, pueros uenire ad me: tantum est regnum cœlorum. quos quum in ulnis accepisset, donauit suo spiritu, & in numerum dilectorum reposuit. Christus eos ad se uocat, Christus eos penes se esse uult, Christus eos doneos diuinorum mysteriorum esse iudicatum est; quid quod nonnullis rationibus à nobis confitendum est; quis ergo ausit dicere, in pueris non esse habilitatem sacrorum uoluminum percipiendorum? Hæc de pueris. Quid tibi ad ea quæ de mulieribus dixisti, respondebo? Fœmenis, inquis, nullum est iudicium: & ideo sacros est, si otij recreandi gratia alios libros legant, diuinos non attingant. O egregius magistrorum. Legat alios libros, uel prophanos etiam, modò ne sacros. Cur non dixisti, mulieribus (sic enim argumentabar) non ita multum iudicij suppetit: uolo ut hoc quantulumcunque habent, perdant: quid enim alii libri prophani faciunt? Excitant ad libidinem, mouent perniciosas cupiditates, uanis erroribus decipiunt mortales, adhortantur ad odium, ad inu-

inuidiã, ad malevolentiam, ad omne genus flagitiorũ. In talibus ergo libris uis fœminas exerceri, non in sacris, in quibus formãtur animi ad probitatem, æquitatem, iustitiam, fortitudinem, religionem, ac pietatem. In mulieribus autem nihil esse iudicij, nullam iustitiam, nullam probitatem: nescio quæ nam philosophia istas opiniones edocuerit. Etenim uiri & fœminæ æquẽ constant animo & corpore: eadem materia utrique sexui communis, & animus æquẽ perfectus est: quid ergo tu? quid Aristoteles dicit de mulierum imperfectione? animus ne mulierum perfectus, an imperfectus est? si perfectus, conuictus planẽ erubescet, teq; pudebit tuæ tam falsæ opinionis: si imperfectus, aduersaberis cùm omnium philosophorum sententijs, qui animo hominis & uiri & fœminæ nihil perfectius esse, magna omnes consensione iudicarunt: tum Deum ipsum rerũ omnium architectum atq; parẽtem mendacij argues atq; conuinces, qui sua ipsius uoce dixerit, Omnia quæcunq; ab se fuerãt fabricata, ea omnibus numeris absoluta esse atq; perfecta. Corpus porrò ex hisdẽ elementis constat: idem calor, idem humor, idem frigus, eadem siccitas, materiam in partium adhæsione afficiebant, & in uarias qualitates mutabant. Denique omnes agentes causæ, omnes adhibiles qualitates, omnes affectiones, omnia ad-

iumenta causarum, omnes mutationes æque
 pares in mulierum ortu, ac in uirorum sunt.
 Vnde igitur imperfectionem muliebris sexus
 arguis? unde perfectionem uirorum colligis?
 Transeo hinc eorum opinionem (qui non om-
 nino malè iudicant) disputantium, externa cor-
 poris lineamenta animi affectiones sequi: quæ
 ex re cogermur mulieribus perfectionem tri-
 buere: atque eam perfectionem animi, qualis
 in maribus nullis, aut perpauca reperitur.
 Sunt enim mulierum partes inter se magna
 consensione sibi respondentes, quum in ho-
 minibus (ut tumet fatebaris) longè inter se par-
 tes discordent ac discrepent. Num tibi proba-
 bile uideatur, ut cum exteriori hac corporis
 harmonia mulieres consentiant, in animo tan-
 ta sit discordantia, quantam tu faciebas? Con-
 cluderes potius ex sententia philosophorum
 eorum, quorum mentio à me fiebat, quanto
 perfectiores sint mulieres externa corporis
 pulchritudine, tanto esse, & animi etiam ex-
 cellentia pleniores atq; perfectiores. At enim
 non istud earum dicta, non istud earum facta
 declarant. Si mulierum & dicta & facta cum
 uirorum componantur, non dubito quin ma-
 gna fuerint in utraque parte momenta ratio-
 num: quandoquidè quantū boni uiri in Rem-
 pub. attulerunt, tantundè et mali etiam ab illis
 importatum est. Mulieres commoda dederunt,
 detric

detrimenta etiam inuexerunt: sunt ergo utriq;
 pares. Quid si etiam superiores & laudabilio-
 res uiris inuentantur: nemo nescit, multo acri-
 us per uiros fuisse orbem terrarum uniuersum
 afflictum, oppressum, fractum, prostratum: ob
 eamq; rem fœminę uidebuntur splendidiores.
 Sed morosa est, & fastidij plena hæc mea dispu-
 tatio: cui ego facile supersedissem, nisi tu me in-
 eam lacerassisses. Ne diutius hîc immoremur, le-
 ge omnes omnium ætatū annales & historias:
 cognosces fœminas castas, pudicas, uerecūdas,
 benignas, iustas, fortes, modestas, consilio ua-
 lentes, sagaces, astutas, cautas, prudentes, gra-
 ues, moderatas, acutas, pias ac religiosas: quæ
 ita in omni uirtutum genere excelluerunt, ut
 multa hominum millia sexcentis passuum mil-
 libus anteuenterint. Nolo recensere Semira-
 mim, Lucretiã, Corneliam Gracchorū, Octa-
 uiam Antoni uxorem, Cleopatram, sexcētascq;
 alias uitæ integritate, morum probitate ac san-
 ctimonia, cōstantia, fortitudine, quouis homi-
 ne si non superiores, saltem æquales ac pares.
 Transeo Amazonas, Sibyllas, quæ etiam meę
 disputationis causam stabilire possent, & tuam
 infirmare. Quid tibi multa millia uirginum, &
 coniugum, & uiduarū memorem, quæ ingen-
 tes ac intolerabiles pro Christi testimonio cru-
 ciatus atq; tormēta fortiter perpessæ, Martyrii
 coronam gloriose sunt cōsequutæ: Num & hæc

tibi sine iudicio, sine mente, præcipitanter rueret, ac temerè uidentur? Non ne etiã Deus mulieres uaticinandi afflatu instigauit, ut futura procul animo cernerēt, & hominibus prænuñciarent? Etiam & hæc tua sententia nihil iudicium habuerunt, Christus Pharisæis, Scribis, Pontificibus, non se filiũ esse præpotentis Dei esse fatentur: & uni Samaritanæ non solum orandi Deum rationem aperuit, sed etiam uerum se esse Messiam Patribus promissum. Scilicet stultæ talia reuelauit mysteria Christus, & stulta Samaritana fidem ei habuit. Quid Martha? quid Magdalena? iudicij nihil habuerunt, stultæ erant, id omnes fatentur, scilicet. Nolo recensere, quot quantæq; mulieres Apostolos ceterosq; uiros Christianos amanter & sanctè pecunijs adiuerint, patrociniõ defenderint, hospitalitate recrearint. Hæc enim nemini non sunt nota. Ergo has stultitiæ condemnabimus? Vides quàm absurda & quàm à ratione aliena dicas: nolote uehemētioribus uerbis urgere, plus satis te res ipsa urget. Quanto rectius D. Hieronymus qui & Paulam, & Eustochium, mulieres delicias, sæpe & multum ad sacrarum literarum lectionem adhortatur: idem etiam censer facientem & puellis, & coniugibus, & uiduis, quoniam es & quando in talem disputationem incidit. Has tu præclaras rationes aut nõ curas, aut nõ uidisti: sed in tua sententia, & potius opinione per-

pertinaciter manens, addis & illud, Mulierum officium esse administrare rem domesticam, et liberos erudire. Quali uerò id ipsum & uiri & theologi non debeant facere. Prudentis matrone est, benè liberos educare, benè rē domesticā gerere. Sed heus tu, quæ se ipsam non benè renerit, qui poterit rem familiarem benè gubernare? Cultus Dei cuiq; sit charissimus, et omnium primus: postea reliqua uitę munia exequatur. melius enim sic omnia succedent. quod omnibus faciendum Christus ipse, & Vates, & Apostoli, & reliqui scriptores sacri, atq; adeo profani etiam iudicarunt. Si ob eam causam, quod liberos educare, & familiam gubernare quispiam debeat, ob id non debet sacras literas legere, non uideo cur non priues omne genus hominum uoluminū diuinorū lectione. Nam nemo est in hac mortali uita, quin multa, magna & necessaria negocia habeat, quibus expediēdis ipsos interesse, ad proprias facultates remq; domesticam utile sit ac necessarium, ad publicas laudabile, & ad hominum opinionem gloriosum. Ex quo fieret, ut si quispiam alius, ordo Pontificius minus deberet in sacris uoluminibus euoluendis uersari. Debēt enim hi non solum familiam gubernare, sed etiam aliorū res domesticas, quo ad eius fieri possit, gubernare consulendo, admonendo, suadendo, exhortando. Debet item communi hominum

nū saluti prouidere, dissidia tollere, mores corrigere totius populi. De reliquis ordinibus nō opus est dicere, cū nemo nesciat, suas esse cuiq; ordini & multas, & magnas, et graues, & iustas occupationes. Ergo his omnibus, id est, uniuersis hominibus, de tua sententia libros diuinos interdīcamus. Quantō rectius, quanto sanctius quicumq; dicunt certas quasdā horas ab omni omnis ordinis homine esse in diuinis libris collocandas, tum propter infinitas causas, tum præcipuē propter unam hanc, quod quum scriptura sacra nos ad pietatem instituat, sitq; uera probitatis regula, ea re ut quisq; diuina uolumina frequentissimē & religiosissimē legerit, ita ad gerēdas res siue domesticas & suas, siue publicas, erit maximē instructus, maximēq; idoneus. Quare non ideo mulieribus libri diuini denegandi sunt, quod cura rerum domesticarū & liberorum educandorum implicata esse debeant; sed quod talem curam gerant, hoc præcipuē scripturam sacram & noctu & interdū debent legere ac relegere. Quis tuū illud scōm ma, ac potius conuiciū ferat: Colus & fūis arma muliebria? Dīctum istud ē mediā plebe sumptum est: quo homo tu minimē popularis, uti non debuisses: id quod tua eruditio, suo iure ac merito à te petit ac flagitat. Num D. Paulus, quum diceret, *Vigilate, quoniam inimicus uester diabolus tanquam leo rugiens circuit,* quæ

quærens quem deuoret: num uiris, inquã, tan-
 tum illud, neq; dixit foeminis: Dicit alio loco i-
 dem Paulus, Arma nostra uerbũ diuinũ esse:
 quid nostra: uirorum ne tantum, an etiam mu-
 lierum: mulierũ etiam quidem certẽ. Nam om-
 nes, ut inquit Iobus, quandiu hanc mortalẽ ui-
 tam agimus, tandiu in militia sumus, tandiu bel-
 lum assidue uel continenter potius gerimus: in
 quo cum promiscue & uiri & mulieres cer-
 tamen & pugnam aduersus demonem, aduersus
 mundũ, aduersus proprias cupiditates susti-
 neant, quibus se armis uiri, iisdem mulieres tur-
 tari debent ac defendere. Itaq; iam non colus
 & fusus muliebria arma iudicabuntur modò,
 sed etiam (si Paulo credendum est) diuina scri-
 ptura. En tibi aliud argumentum tuum, id est,
 superiori quã simillimum: Mulier quæ sapit,
 bis stulta est. Cur non dixisti, aut cur mihi dice-
 re nõ liceat, Vir q; sapit, bis stultus est: quid ni-
 an non sunt in utroq; paria momenta rationũ?
 Num sapientia depellit humanum animum à
 perfecta rationis sede? Mihi crede, mulier quæ
 cum sapit, nihil sibi uidetur sapere, ea sapientis-
 sima est: at quæ cum nihil sapit, sibi uidetur sa-
 pere, ea bis stulta est. Sapientiæ autem ea natu-
 ra est, ut neminem nõ ornet, commendet, et ad
 uitæ usum reddat meliorẽ atq; aptiorem. Quod
 cũ uiderent Origenes & Chrysostomus, in cõ-
 cionibus quas populo faciebãt, omnes promi-
 scue

scue & indifferenter & mares & foeminas, &
 pueros & adultos, & heros & seruos ad sacro-
 rum libroru lectionem adhortabantur. Quare
 etiam & foeminis sacra uolumina ad legendu
 concedantur. Ad idiotas eos, qui & per aetatem
 & per ingenij ac iudicij facultatem possent sa-
 cram scripturam legere, si tamen disciplinis &
 scientiaru artibus animu coluissent, ueniamus:
 quos tu non alia de caussa a sacris libris depel-
 lis, nisi quod, tametsi ingenio ualeant, iudicio
 polleant, non tamen debent ad diuinos libros
 accedere, quod neq; in linguis Hebraea, Grae-
 ca, Latina, neq; in Rhetoricae praceptionibus,
 neq; in Dialecticae praceptis, neq; in Philoso-
 phiae studijs opera posuerint. Ego uero statuo
 omnes, qui se ad sacrorum uoluminum lectio-
 nem conferant, eos non parum luminis secum
 attulisse, si ad ea studia diuinae Philosophiae, et
 tiam humanarum disciplinarum cognitionem
 secum transportarint. Sed tamen iudico tametsi
 quis nullis humanioribus disciplinis instru-
 ctus, ad diuinos libros accesserit, hunc nihilominus
 eos intellecturum. Contra tu iudicas.
 Ego sententiam tuam profligabo, et quod dixi
 facile obtinebo. Sunt enim tua argumenta ad
 hanc rem confirmandam debilia, uacillantis,
 nutantis. Nam si nemo potest sine humanita-
 tis studijs ad perfectam diuinarum literarum
 cognitionem peruenire (ut tu dicebas) parum
 memo-

memoria aut nulli, aut perpauca theologi exti-
 terunt. Linguas enim & Hebræam & Græcã
 nemo norat: de Latina nihil opus est dicere,
 quum res ipsa loquatur, eos nihil minus quàm
 Latine aut sciuisse, aut intellexisse. An menti-
 or: Prodeat Petrus Ligubardus, fons & origo
 scholæ Theologicæ: prodeat Albertus Ma-
 gnus, prodeat Aquinas uester cum suis mona-
 chis, qui de Theologia aliquid scripserunt: pro-
 deat Scotus, Bonauentura, Richardus: pro-
 deant Occamini, Bruxellenses, Alexãdri, Du-
 randi, & reliqui omnes prodeant: nemo de
 tanto numero sciuit Hebraicè, nemo Græcè,
 nemo Latine. Ac si uis perpendere, qualibus
 Rhetoricæ, Dialecticæ, & Philosophiæ studijs
 ornati isti tui auctores ad Theologiam accesserint:
 primùm Rhetoricã contemnebant: in Di-
 alectica uerò, pro ueris & solidis eius artis ad-
 monitionibus & præceptis, habebant confusi-
 onem illam, ipso chao perturbatiorem, ampli-
 ationum, suppositionum, restrictionum, inso-
 lubilium, terminorum: uociferabantur de uo-
 cibus, uociferabantur de rebus: unde alij bar-
 barissimo uocabulo, id est, suo, alij Reales, alij
 Nominales uocabantur. Clamabant, uocifera-
 bantur, rixabãtur de artis suæ uocabulis, usum
 eius nullum habebant. usum autem; imò nullũ
 de Dialecticis præceptũ habuerunt, imò ne pri-
 mis labijs Dialecticam unquã degustarunt. De
 philoso-

philosophia autem eorum quid dicam: præfer-
 tim cum libri quibus eorum philosophia conti-
 nebatur, ita hominibus nunc sordeant, ut phar-
 macopolis, unguentarijs, dulciarijs, & uetulis
 bene noti sint, utpote qui merces suas illis sole-
 ant inuoluere. Itaq; si humaniores disciplinae,
 id est, Hebræa, Græca, & Latina lingua, itemq;
 Dialectica, Rhetorica, Physica, & Moralis phi-
 losophia necessarię sunt futuro Theologo: De-
 us bone, quàm paruus numerus Theologoru
 fuit olim in Gallia, in Italia, in Hispania, in
 Germania, & hac inferiori, & illa superiori.
 Sed quàm paruus numerus hodie Theologo-
 rum ad istã rationẽ inuenietur? Illi ipsi q; primas ge-
 nere uidentur, illi ipsi omniũ imperitissimi Theo-
 logię et erunt, et meritò erunt. Quotusquisq; est
 nim de senioribus Theologis, extra pauculos
 quosdã, qui ista artium studia, quæ necessaria
 esse dicis, coluerit? Non ero hic longior, respice
 tamen nullus loquar. Ego uerò sic statuo, sine
 ista disciplinarum cognitione, quas antea me-
 morabam, posse quemuis hominum in præ-
 stantissimum Theologũ promouere atq; per-
 uenire. Ostendant igitur, linguarum Hebrææ,
 Græcæ, Latinae peritiã non esse Theologo
 necessariã: deinde neq; Rhetoricæ, aut Dia-
 lecticæ cognitionem, ex artium præceptis adfu-
 turum Theologũ requiri: postremò neq; Physicæ
 lo. optig

Iosophia studia quicquam Theologo condu-
 cere. Ac ut de linguis primùm agā, hæc omnium
 consensu nihil aliud sunt, quàm instrumenta,
 quibus cogitata mentis explicamus. Hæc autē
 animi siue sensa, siue cogitata, quacumq; lingua
 uel loquendo exprimi possunt, uel scribendo.
 Hinc fit, ut quæ alijs linguis scripta sunt, in alias
 rursus interpretemur, ut ab his intelligant, qui
 bus erant implicata et incognita propter alteria
 us linguæ ignorantia. Sic de Hebræo, de Chal-
 daeo, sic de Græco, sic de Arabum lingua mul-
 ta & uaria opuscula cum olim, tum maximè ho-
 die transferuntur uel in Latinum, uel aliam lin-
 guam uernaculam. Itidem etiam linguæ uulga-
 res aliæ alijs sibi auxilio sunt, dum quæ Italicè
 cōscripta in Gallicam uel Hispanicam linguā
 interpretamur, aut ab his uicissim in illam uer-
 timus. Deniq; nulla res est tam exquisita, tam
 recondita, et tam obscura, quin ex una in aliam
 linguā expressa & quasi transfusa fideliter, be-
 nè possit perfectèq; intelligi. Aut igit quæ He-
 bræis, Græcis, Latinis literis continent, uerti in
 uulgares linguas fideliter possunt, aut non. Si
 possunt (ut certè possunt, et mox suo loco posse
 conuincā) uertant: habebit populus diuinæ uo-
 luntatis cognitionē per patriū sermonē ac suū,
 nec cognitio trium linguarum (quas uocant)
 erit necessaria. Si non possent fideliter uerti, tū
 uera esset sententiā tua, & iudicarem sine trium
 c istarum

istarum linguarum peritia diuinas literas percipi non posse. Nimum te ex emplo Origenis, Augustini, Hieronymi ostendebas comoueri, quod hic Hebraice, Graece, & Latine sciuerit, illi in extrema senectia Hebraeam linguam didicerint. Hoc unum soles tu cum tuis similibus egregie praestare, ut exemplo uos contra aduersarios uestros muniatis, auctoritateque hominum commoueamini: non sequamini ueritatem, sed huiusmodi quoque auctoritatem anteponatis. Istud ergo non dixerim ueritatem inuestigari, sed ueritatem potius obrui. Ratio antiquissima cuiusque & charissima sit: auctoritas atque exemplum ad ueritatem tanquam stateram examinetur: & si quid uidetur habere iusti ponderis, retineatur: sin minus, e medio efficiatur. Sciuit Origenes Latine: non. Ergo neque Theologo cognitio Latinae linguae est necessaria: sic enim concludere etiam potes, si exemplo Origenis commoueris. Huc adde, quod omnes ecclesiae Graecae doctores Latine ignorarunt. Quid Augustinus et Hieronymus: non ne hic Dalmatice, ille Africane loquebatur? Concludo igitur, linguas Dalmaticam atque Africam conducere his qui ad theologiam se contulerunt. Alia sexcenta eiusdem generis ex his quae dixisti inferrem, nisi arbitrarer ex paucis his facile, quam absurda sit sententia tua, intelligi. Itaque rem ipsam non oportet ex hominum auctoritate, sed ex ueritatis regula mensurari.

mensurari. Redeo ad Origenem & Augusti-
 num, quorum tu exemplo potissimum niteba-
 ris: an non hi in senectute Hebræam linguam
 addiscere tentarunt? tentarunt. Duo nunc abs
 te peto: primum an, sciuerint isti duo Hebrai-
 ce: alterum an, priusquam Hebrææ linguæ stu-
 derent, theologiam scirent, nec ne? Constat, ut
 tu etiam dixisti, eos iam senes addiscere Hebre-
 orum linguam uoluisse, sed non addidicisse:
 atqui ita non sunt habendi in eorum numero,
 qui Hebraicis literis eruditi uel sunt, uel fuerunt.
 De secundo autem, quod te rogabam, nemo
 dubitat, quin omnes penè libros illi duo aucto-
 res in lucem emiserint, antequam se ad Hebre-
 am linguam conuerterent: fuerunt antea Pon-
 tifices, perfuncti sunt & boni pontificis & bo-
 ni doctoris officio, scholas aperuerunt, om-
 nium suæ ætatis præstantissimi theologi ha-
 biti sunt. Quid referam, doctores excellen-
 tissimos Ecclesiæ, tum Græcæ, tum Latinæ:
 quorum singularem, & quasi diuinam de sa-
 cris literis cognitionem admiramur & uene-
 ramur: ut Athanasium, Cyrillum, Irenæum,
 Nazianzenum, Cyprianum, Tertullianum,
 alios que his similes: qui Hebraicas literas in-
 gnorarunt? Ergo sine Hebrææ linguæ peri-
 tia diuina philosophia intelligi rectè potest. Idē
 de Græcis literis censendum est: quoniam scri-
 bæ, pharisæi, pontifices, sacerdotes populi Isra-

elitici, Biblia intelligebant, singula diligenter
 rimabatur, adeo ut Rabinis explicanda Bible-
 orum sententia primas omnes homines dese-
 rant, quum hi Græcè nesciuerint. Transeo mul-
 tos alios doctores theologos, qui et hodie sunt,
 & olim etiam fuerunt sine Græcarum literarum
 cognitione. Atque hoc idem superioribus annis
 à Sorbona Parisiensi iudicatum est, cum ipsa
 decretum suum interponeret eiusmodi, ut dice-
 ret, Græcam linguam hæresum esse seminarium,
 eorumque & illi tunc, & hodie etiam complures, & hi
 magni (si diis placet) theologi non solum iudica-
 runt ac iudicant, linguam Græcam nihil pro-
 desse theologiæ, uerum etiam maximè obesse.
 Itaque theologia disci sine Græca lingua potest.
 Neque est quod id ipsum in Latinis disciplinis ue-
 lim probare: quandoquidè si, ut antea sæpe &
 multum dictum est, & Græci Theologi & Iudeo-
 rum Rabbini, scribæ & pharisæi, sacrorum uo-
 luminum præclaram cognitionem habuerunt, quæ
 nihil minus quam Latinè sciret. apertissime con-
 stat, non esse Latinam linguam futuro theologo ne-
 cessariam. Ergo neque Hebræa, neque Græca, neque
 Latina lingua addisci ab his debet, qui uelint co-
 peram in sacris libris collocare. Lingue, quemad-
 modum initio docui, nihil aliud sunt, nisi inter-
 pretes humanæ mentis, quibus ea quæ sunt in
 animis nostris reclusa, referantur ac aperiuntur.
 quæ ut facias, non refert qua lingua loquaris:
 quando-

quandoquidem æquè omnes linguæ id ipsum præstāt, ut & loquētis animū aperiant, & auditoribus cogitata mentis eius qui aut scribit, aut loquitur, edoceāt. Quare uides, quàm irrita argumenta de linguis cognoscēdis aduersus me proposueris. Sed ô me parū perspicacē: qui nō illud uiderim, quod omnīū oculis maximè expositum est, necq̄ à me prætermissum oportuit. Tres ne istas linguas iudicas necessarias esse ad theologiam, quòd eis tanquā thesauro quodā diuinæ literæ cōtineantur, an non uertant igitur in uernaculas linguas, nec illarū usu indigemus: quoniā quod illæ ad humanā intelligētiam faciunt, idē uernaculæ linguæ præstabūt. De linguis satis: ad Rhetoricæ & Dialecticæ disputationē ueniamus. In quo uideēt mihi surperuacaneū esse de Rhetorica quicquā dicere, quum nullā rem theologi nostræ ætatis magis offensionī habeāt, quàm ornatū orationis, atq̄ pompā. Quo nomine, id est, propter cōtaminatam & omnibus modis sœdatā orationem suā, ita sibi placent, ut hoc excellentior theologus quisq̄ habeat. quo barbarius, incultius, inornatius uerba faciat. Sed quoniā multi hodie sunt, qui ad meliorē mentē redeūt, adhibentq̄ quantum possunt nitoris & ornatus in loquendo: propterea de Rhetorica aliquid dicēdū fuit, ut omnium uotis abundè satisfieret. Hanc igit̄ dico non esse necessariā ad Theologiæ cognitionē,

cum quod omnium disciplinarum limites distincti
 & separati sint, nec transgredi eos nos oporteat,
 ne artium fines confundantur. Hinc fit, ut omnis
 facultas, omnis ars, omnis disciplina suis ipsius
 preceptis contenta sit, intra terminos suos confi-
 stat, extra non progrediat: aliter enim quam una
 addiscenda est disciplina, simul ceterae omnes ad
 discendam forent: quoniam earum usus in agendo,
 non in praecipiendo misceri solet. Tum quod
 Rhetorica nihil aliud sit, quam imago quaedam
 innata nobis certae cuiusdam cognitionis, qua
 duce, nos ipsi sine ulla arte, sine ullo doctore, &
 ornatè loquimur, & ad eorum qui audiunt uolun-
 tate accommodatè. Sunt enim artes omnes imi-
 tatrices atque aemulae naturalis nostrae facultatis,
 quam non ex arte, sed à natura accepimus. Quin
 potius siquid habent artes, si quid docent, id à no-
 bis acceperunt: quoniam exemplar quoddam illae
 sunt naturae nostrae facultatis, quam in nostro a-
 nimo natura parens inseuit. Non enim aliquid
 quod in nobis non sit, procreat ars: sed ea quae
 sunt in nobis orta, auget, alit, quemadmodum &
 Cicero & Plato iudicarunt. Quod etiam ita per-
 spicuum est, ut negari nullo modo possit. Nam
 pueri infantes, hoc ipsum quod ex arte est, sine
 arte praestant: ob eamque rem esse in nobis omnes
 artes nativas & insitas, necesse est fateamur.
 Quid quod, quum ex omnibus utilitatibus Rhetoricae
 illa maxima sit, ut orationem ornamentis
 & quasi

& quasi luminibus illustret: hæc omnia usus lo-
 quendi quotidianus abundè suppeditabit, si in-
 uernaculã linguam diuinæ literæ transferãtur:
 & tametsi nõ transferantur, puritatẽ & ornatũ
 patriæ linguæ unusquisq; ex obseruatione cæ-
 terorum addiscit, tametsi nullus de ea quicquã
 moneat. His igit de causis iudico, sine Rheto-
 ricæ præceptis Theologiã insigniter disci pos-
 se. De Dialectica nũc. Is qui ea quæ de Rheto-
 rica dicta sunt, cognorit, nõ opus habebit refu-
 tatione aut respõsione aliqua aduersus ea quæ
 de Dialectica disputasti: quoniã par est in utra-
 que ratio, eadẽ sunt momẽta rationũ. Est enim
 etiã Dialectica in eorũ numero, quæ nobiscum
 nascunt. Nam tam latè patet Dialectica, quàm
 rationis usus: id quod etiã eiusdẽ Dialecticę no-
 mine significat, q̃ à Græcis indifferẽter, uel dia-
 lectica, uel logica nominat. est aut homo ani-
 mal logicũ, id est, ratione utẽs, & ipsa ars ab eo
 quod est ratione uti, nomẽ inuenit. In qua sen-
 tẽtia est diuinus Plato, philosophorũ pater, atq;
 adeo deus. Quid ergo? existimas ne homines
 rationis esse cõpotes, nec ne existimas? sunt sa-
 nẽ rationis participes, rationis cõpotes, ratione
 utũtur, ratione ualent, tametsi Dialecticæ artẽ
 nõ nouerint. Ergo Dialecticæ, id est, artis Dia-
 lecticæ cognitio, nõ est Theologo necessaria:
 quia nemo mortaliũ per se nõ est Dialecticus.
 Veniamus ad Philosophiã, atq; equis animis et

sine cōtentione ueniamus. Mira tibi uideris dixisse in eam sententiā, ut probares, Theologos Philosophiæ studio maximè indigere: quoniā, ut tibi quidē uidetur, ea sit tanquā fundamentū Theologiæ, & Aristoteles et Plato quasi architecti: sic enim eos appellabas. Ego uerò nō possum nō te uehementer admirari, qui ista ausis dicere: nā D. Paulus alia, quā tu, Theologiæ iacit fundamēta. Is enim ad Corinthios scribēs dicit: Fundamentū solū esse Iesum Christū, cui debeamus solū inniti. nā quicumq; supra hunc edificiū erexerit, is cōstruet firmiter et in omne eū permanfurū edificiū. Christus ipse apud Ioannē dixit, non accipere se lucē ab hominibus, sed à patre suo, à quo uocē accepit: Ego illustraui te, & illustrabo. Quī igitur lumē à Platone & Aristotele accipiet is, q; à solo patre debet lucē accipere: Non est aliud fundamentum extra Christū, supra quod nos quicquā ædificare possimus: & diuinā theologiam in philosophia fundabimus: Cōstruendi, erigendiq; ædificia illa solet esse ratio, nō solūm omnīū cōsensu approbata, sed etiā necessaria, ut firmissimè & altè fundamēta iaciantur: sic durabit tota fabrica, uitium est, pulcherrimum edificiū leui fundamento inniti. Quid uos, qui fundamentum Theologiæ philosophiam facitis: an non hæc pulchrè cōstruendi rationes perturbatis, atq; destruitis? Nihil Theologiā melius, nihil nobilius,

nobilius, nihil antiquius: & uos eam in philo-
 sophia fundabitis: Sumptuosissimi nimirum et
 omnium præstantissimi ædificij, uile & abie-
 ctum fundamentum statuitis. Misit tot Vates,
 tot Apostolos, tot concionatores, misit etiam
 filium unicum suum Deus, quantos & quales
 nemo nescit, ut fabricam Theologiæ in hac re-
 rum uniuersitate molirentur & efficerent: nec
 uos pudebit dicere, & nominare architectos
 & opifices tam excellētis fabricæ, Aristotelem
 & Platonem: Quid hoc aliud est, quàm Vatū,
 quàm Apostolorum, quàm Christi opus, mu-
 nus, officium, beneficium, promeritum tollere
 de medio, & eijcere? Pessimè cum idiotis & il-
 literatis hominibus ageretur, si ab his solum
 Theologia disci posset, qui philosophiæ aut ce-
 terarum artium disciplinis operam nauassent:
 quoniam hi certò scire possent uerā, æternam,
 stabilemque Dei sentētiā, in quo omnis nostra
 felicitas consistit. Possemus item dicere, nemi-
 nem mortalium minus sacrā Theologiam per-
 cepisse, quàm Apostolos: quoniam hi infimi e-
 rant de plebe, piscatores, nauicularij, rudes &
 agrestes, ut ex Evangelica historia facillimè pa-
 tet: & D. Paulus nonnullis in locis hoc nomine
 Theologiam cōmendat, quòd non à philoso-
 phis summis, aut uiris opibus & facultatibus a-
 bundantibus, ac potētibus, sed à uilissimis om-
 niū & pauperrimis annuncietur. Sic Celsus,

Porphyrius, Iulianus (ut est apud Hieronymum) religionem Christianam ludibrio habebant, deridebant, uituperabant: quòd non haberet hæc uiros disertos, dialecticos acres, philosophos graues, omni disciplinarum genere exercitatos: quòd ipsis uideretur, Theologiam hominum auctoritate, id est, humana ratione & philosophica commèdari oportere. Nimirà erāt in tua opinione, ut quoniā homines nulla disciplinarū eruditione, neq; linguarū, quas tu tres facis, neq; dialecticæ, neq; rhetoricæ, neq; philosophiæ erant præditi, nihil eos scire posse arbitrarentur. Errarunt illi, & tu etiā in eodem uersaris errore. Quid de Maria matre Iesu: an hæc istas, quas tu requiris, disciplinas didicerunt minimè, quemadmodum neque eas Apostoli didicerunt. Non oportet inspicere quantā habeat quisque humanarum, quas uocant, disciplinarum cognitionem, ad intelligendam sacram scripturam: sed quantum fidei, quantum spei, quantum officij, religionis ac pietatis habeat: hunc donabit spiritu suo Deus, præsertim precibus prouocatus, ut diuina mysteria uideat, cognoscat, intelligat. In qua sententiā, ut non ita multo antè probaui, Bernardus est, ex ore D. Pauli. Nec deest huic opinioni corroboranda exemplum Apostolorū, qui non ea de causis in Theologia excelluerunt, quòd humanas disciplinas fuissent edocti (nam nullas didicerant)

rant) sed quoniam per uiuam & constantem fidem, quam Christo habuerunt, diuinitus erant illustrati atque eruditi: id quod etiam & Eunucho illi de quo mentio fit in Actis Apostolorum, obtigit. Ad hanc regulam si intelligentiam sacrorum uoluminum metiaris in hominibus, cognosces uetulam illiteratam (ad hominum opinionem loquor) rudem, ignaram, uilem, multo maiorem posse de theologia consequi notitiam, quam illos ipsos quos admiramur egregios philosophos. Neque enim theologia humanis disciplinis innititur, aut in animis omni disciplinarum genere cultis insedit: sed in quo plus pietatis, plus religionis, plus sanctimonie reperit, ibi sedes sibi constituit, atque habitat. Hinc illud est, quod homines idiotae & illiterati citius ad Euangelii cognitionem peruenerint, quam philosophi. Imo uero neque maiores, neque acriores habuit, quam eos qui fuerant uariis disciplinis ornati & commendati. Scribae, Pharisei, Pontifices, sacerdotes, reliquique populi Israelitici doctores Christum odio habebant, insectabantur: quum hunc piscatores, penes dixerim mancipia, ipsum sequerentur, eius doctrinam caperent, laudarent, approbarent. Nec pueri non Christum agnouerunt, quem doctissimi quin nec agnouerunt, aut cognoscere noluerunt. uoluerunt uero: imo omni machina, omni dolo, omni arte, per fas atque nefas,

fas, ipsum insectabatur, occidere tentabant, occiderunt tandem. Ex quo facile colligis, non meliorem hoc quemque theologum futurum, quo maiorem sibi humanarum disciplinarum cognitionem compararit, ob eamque rem, & etiam quod homines illiteratos in maximos theologos promouisse uideamus, literas humaniores non esse theologo necessarias iudicandum est. Nulla lux magis illustrat, magis illuminat, magis relucet, quam illa quae ex diuinis literis manat: si quid lucis ex humanis disciplinis ad fugandas nostrae mentis tenebras proficisci potest, illa cum Evangelica luce si conferatur, densissima caligo proculdubio fuerit. Qui ergo tenebrae lucem poterunt illustrare? Ex tenebris tenebrae, non lux uideri solent: quo igitur pacto philosophia, quae tenebrae sunt, theologia, id est, lumen illustrabit? Quod alterum illuminet, id eo quod lumen accipit, clarior esse solet, & perspicacius: atqui theologia quum lux sit, & philosophia ipsa tenebrae, quae poterit ab hac illa illustrari? Redeo ad fundamentum. Si humaniores disciplinae fundamentum esset theologiae, maximas gratias & agere & habere earum inuentoribus deberemus, quod eas artes excogitarint, sine quibus non posset diuina disciplina permanere diutius. Sed uae nobis, uae inquam nobis, quibus pereundum esset, si istae artes interirent. Ex quo fieret, ut summo in periculo interitus theologia uersaretur: quod

quod probabile nō est, propterea quōd tametsi
 nulla esset philosophia, theologia tamē & esset,
 & permaneret. Nā diuina uoluntas, à qua pen-
 det nostra salus, non istis regulis tanquam uin-
 culis illigatur. Multi & docti, & graues, & san-
 cti, religiosiq; uiri cū superiorum temporum
 memoria, tū nostra, libros aliquot in apertum
 dederunt: quibus philosophiā Platonis, & Ari-
 stotelis aliī reprehendebant, aliī accusabant, aliī
 oppugnabant, aliī funditus conabantur euer-
 tere. Talia qui auderent aduersus fundamentū
 theologiae, & eiusdem architectos scribere, me-
 ritō & iure de tua sententia hæreseos nomine
 non solum suspecti esse deberent, uerū etiam
 publico totius Reipub. Christianę iudicio con-
 demnati. Nam qui & fundamentum & archi-
 tectos demolitur, destruit, & oppugnat: is ædi-
 ficium, id est, religionem Christianā funditus
 euertit. Quī enim sine fundamento possit con-
 stare domus? quī enim sine architecto moles
 ædificij erigetur? Atqui uidemus, de his qui
 contra Platonem aut Aristotelem uel sentirēt,
 uel scriberēt, neminem esse aut impietatis, aut,
 quod minus est, malæ ac perniciosæ doctrinæ
 condemnatū: ex quo fit, ut aut Ecclesia malè se-
 cerit, aut tua opinio futilis sit, & errorū plena.
 Mihi duabus potissimum de causis uidetur nō
 solum non esse fundamentum theologiae philo-
 sophia, sed etiam diuinarum literarum euersio
 atque

atq; destructio iudicatur, cum quod homines
 assuefiant per philosophiam contentionibus,
 tum quod & nihil certi philosophia doceat, &
 humanis rationibus theologia probari non pos-
 sit, atque confirmari, Quæ si uera sunt, ut facile
 obtinebo, tuam opinionem uidebis expugna-
 tam, & perditam. De contentione mihi non est
 dicendum, præsertim cum omnes norint totam
 philosophiam nihil aliud esse, quam litigiosam
 quandam disputationem, plenam opinionum
 & dubitationum. Nam quot sunt philosophi,
 tot solent esse de rebus naturalibus opiniones,
 quas pro sua quisq; parte aut tuetur, aut oppu-
 gnat. Hinc fit, ut qui in tali disciplina uerentur,
 hi assuefiant contentionibus: quoniam de
 quo dubitatur, de eo ambigi solet. Quæ dubi-
 tatio quam noceat theologiæ, uel hinc aperit-
 simè patet, quod in theologiâ nulla debet har-
 beri nisi cõstans, firma, stabilisq; sententiâ. Quis
 non uidet dubia esse et incerta omnia, quæcumq;
 in philosophia doceantur: Nolo hic sectas Aca-
 demicæ & ueteris & nouæ, nolo Peripateticor-
 um, nolo Stoicorum, nolo Epicureorum, Cy-
 renaicorum, aliorumq; sectas recensere, quæ
 sunt propè innumerabiles: in quibus tantum
 abest ut aliæ sectæ cum alijs concordent, ut illi
 ipsi qui eundem auctorem sequuntur ac profi-
 tentur, maximè inter se discrepent. Quorum
 exempla qui nosse uolet, reperiet apud Plutar-
 chum

chum compendiolo quodam explicata, & in Ciceronis libro de Tusculanis quaestionibus, de Fine bonorum & malorum, & in Academi- cis quaestionibus. Si ista uelis uberius & cumu- latius nosse, ex Socratis contra Sophistas dispu- tationibus intelliges: itemq; ex Plotino, Procu- lo, Chalcidio, Simplicio, Ammonio, Philopo- no. Quare his super sedebimus: tantum dicam, in Platone & Aristotele nihil esse de philoso- phia certi, quod sequaris: omnia densissimis du- bitationum tenebris obrui, & occupari. Quid enim certi apud hos reperias de rerum natura- lum principijs, de motu, de statu ac quiete, de ortu & interitu, de natura elementorum, de a- nimo, de sensu, aspectu, auditu, olfactu, gusta- tu, tactu? Alia principia ponit Plato, alia Ari- stoteles: alium ordinem rerum procreandarum ille statuit, aliū progressum, alium statū, alium exitum, atque Aristoteles statuerit: idq; non so- lum in rerū naturalium explicatione, sed etiam in his locis, ubi mores hominum bene & se- cundum naturam formantur ac instituuntur. Non ignoro, multos in eo operam posuisse, ut hosce duos grauissimos auctores, philosophiae principes, inter se conciliarēt, idq; scriptis libris: in quibus praeter nomen conciliationis, quod in principio in libri titulo ponitur, praeterea con- ciliandi eos ne litera quidem appareat. Placēt sibi magnificis titulis, quibus postea nec satisfac- ciunt,

ciūt, nec si uelint, possint. Quis enim atra cum
 candidis possit cōciliare? Quanquā non igno-
 ro plerisque in locis discrepari ab his auctori-
 bus inter se, non toto rerum genere, sed uerbis
 tractationem. Redeamus ad incertā philosophiæ
 initijs, quæ nec ordine ullo distinguuntur, nec
 uera sunt omnino; uerū sunt eius generis om-
 nia quæcunque dicit, ut si fundamenta quæ ab
 illo ponuntur, ad suam sententiam confirman-
 dam negentur, tota eius disputatio corruat ne-
 cesse sit. Naturæ item definitio sic tradita ab
 Aristotele est, ut quid ea sit, nullo modo ex A-
 ristotelis sententiā intelligi possit. Et si rem con-
 templeris, quam naturæ attulit explicando de-
 finitionē, ea animi uidetur esse propria: ex quo
 apparet, Aristotelem ipsum naturā rerum non
 intellexisse: uoluisseq; de re incerta, incerto etiā
 suam aperire sententiam. idq; ex cautione, am-
 bitione, astutia, fraude: ut cum nihil non sapere
 uideri uellet, crucem potius lectori quā igno-
 rantia fateri, proponere maluerit. Hinc illa est
 Philoponi & Simplicij loquacissima concerta-
 tio, de naturæ definitione, apud Aristotelem:
 hinc illa Græcorum cum Latinis interpretibus
 eadem de re litigiosa disceptatio: hinc est illa
 omnium omnis generis interpretum, qui Ari-
 stotelis libros de Principijs naturæ commenta-
 rijs illustrarunt, perpetua contentio, quum aliq;
 ad

ad materiam, alij ad formam, alij ad alias res ce-
 ream Aristotelis definitionē molliunt, flectūt,
 uertunt, formant. Hui, Aristoteles in portu im-
 pingis: hui, natura quid sit, ignoras: quī poteris
 aliquid de ea pro certo tradere? Quid referam
 & loci & temporis Aristotelis tractationem, in
 qua quum multus sit in destruendis aliorum o-
 pinionibus, potius quid non sit, quā quid sit
 locus & tempus cognoscas. De his quæ ille di-
 xit de motu, eiusq; generibus, quid attinet me
 diceret: præsertim quum libri ipsi sint in prom-
 ptu: quos si conferas ac legas, perturbatos uide-
 bis, & dubitationum plenos. Voluit etiam Ari-
 stoteles in cælum ascendere, uideretq; eorū di-
 uinam fabricam, motum, affectiones, corpora,
 ordinem, numerum, constantiam: sed homo ta-
 lium tantarumq; rerum ignarus, ita eorum tra-
 ctationem uidetur perturbasse, ut ueterrimum
 Chaos iterū in orbem induxisse uideatur. Non
 ego hæc, sed res ipsa loquitur. Cōsidera omnia
 quæcunq; Aristoteles de cælo dixit, & sine præ-
 iudicio & sine contentiōnū auidis animis con-
 sidera: & sic se rē habere, ut ego dixi, certō per-
 spicies. Quid de animo uester Aristoteles, &
 fortasse quoque meus, tradidit? an non incer-
 tiorem lectorē dimittit, quā accepit? quod
 cum in alijs omnibus, tum præcipuē in ea quæ-
 stione fecit, qua sit ne animus mortalis, nec ne
 sit, aperire debuisset. Sic enim in eo mentem

suam explicat, sententiamq; docet, ut quid ipse
 senserit, eruere nullo modo queas. Quo factū
 est, ut Simplicius & Philoponus perpetuum
 inter se susceperint certamen, cum unus multis
 & magnis rationibus conetur probare, de Ari-
 stotelis sententia, animum esse mortalem: alter
 magno apparatu, magna argumentorum vi,
 etiam illud obtinere conatur, ut ex eiusdem
 Aristotelis sententia conuincat, animum esse
 interitus expertem & liberum. De ea doctrina
 morum quæ Ethice nominatur, nescio quid la-
 bore sumam, ut ostendam incertam esse, du-
 biam, ne dicam errorum plenam. Nemo enim
 est uel mediocri ingenio, uel paruo temporis
 spacio in eis uersatus, quin in meam sit dilectio-
 nis sententiam. Errores perniciosos, & religio-
 ni nostræ planè contrarios, de mundi ortu &
 interitu, de prima omnium efficiente causa, de
 uniuersitatis cōseruatione, de dijs, & id genus
 alijs opinionibus, uel erroribus potius: hæc in-
 quam omnia prætereo, quæ ex philosophia Ari-
 stotelis & cæterorum etiam percipiuntur, di-
 scuntur, contra Dei eius que legis decretum.
 Quid Plato, quid, inquam, Plato pro uero ac
 certo in libris suis tradidit: quum homo Socra-
 ticus, quæ à præceptore didicerat, nullam de il-
 lis approbationem facere consueuerat. Sunt
 Platonis disputationes serè omnes ex Socratis
 sermonib. institutæ, in quib. magis quàm de ea de re
 quæ

quæ tractatur, non intelligendum sit, quàm quid
 intelligendum sit, doceatur. Sed de hoc nimium
 multa. Certè si compares sententias philosopho-
 rum inter se, perpendasq; quid de unoquoque
 rerum genere senserint: intelliges, non modò
 alios ab alijs dissentire & discordare, sed etiam
 à seipsis plerunque discrepare: atque profiteri
 eos eam scientiã ausos fuisse, cui cum non pos-
 sent satisfacere, maluerunt erroribus perturba-
 re, quàm suam inscientiam agnoscere ac fateri.
 Præclare Augustinus, & uerè, Epistola ad Me-
 morium quapiam, philosophiam appellat nu-
 gas, his uerbis: Est enim hic sanctus frater et col-
 lega noster Possidius, per nostrum ministerium
 non literis illis, quas uariarum serui libidinum
 liberales uocant, sed Domini eo nutritus, quan-
 tum ei potuit per nostras angustias dispensari.
 Quid enim aliud dicendum est, eis qui quum
 sint iniqui & impij, liberaliter sibi uidentur eru-
 diti: nisi quod in literis uerè liberalibus legi-
 mus, Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi
 eritis: Neque habent congruum libertati, nisi
 quod habet congruum ueritati. Vnde ille ipse
 filius: Et ueritas, inquit, liberabit uos. Non er-
 go illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus
 uanorum plena sunt carmina poetarum, ullo
 modo nostræ consulant libertati. Non orato-
 rum inflata & expolita mendaciã, non deniq;
 ipsorum philosophorum garrulæ argutiæ, qui

» uel prorsus Deum nō cognouerunt: uel quum
 » cognouissent, non sicut Deum glorificauerūt,
 » Absit omnino, ut istorum uanitates & insanie
 » mendaces, uentosæ nugæ, ac superbus error,
 » rectè liberales literæ nominētur, hominum sci-
 » licet infortunium, qui Dei gratiam per Iesum
 » Christum dominum nostrum, qua sola libera-
 » mur de corpore mortis huius, non cognoue-
 » runt, nec in eis ipsi quæ uera sunt senserunt.
 Hacenus Augustinus: ex cuius uerbis, & ex
 mea satis longa disputatione, longè lateq; pa-
 tet, quàm incerta & quàm dubia in philoso-
 phia præcepta dentur. Quid; humanâ ne ratio-
 ne theologia aut inniti poterit, aut probari? Ex
 incertis quid quæso probari potest? Sunt au-
 tem incerta propemodum omnia, ut antea o-
 stendimus quæcunque in philosophia tractan-
 tur: uide igitur quàm aliena, & à ueritate ab-
 horrentia iudices. Vera theologia nihil aliud
 est, quàm diuina uoluntas nobis diuinitus pa-
 tefacta: quam nisi Deus per benignitatē suam
 nobis aperuisset, eam nullo modo intelligere
 potuissemus. Est enim eius generis, ut huma-
 num captum prorsus excedat. Quid multa: di-
 uinitus patefacta est: ergo non humana ratio-
 ne, non humano labore, industria, exercita-
 tione, studio, eam consequi potuissemus.
 Quod ut facilius agnoscas, ægedum faciamus
 periculum, num nam humanus animus per se,

id est, humanis rationibus, quæ philosophia est, theologiam possit assequi, & eius principia confirmare. Quis intelligit per se, aut probat humanis rationibus, Deum optimum maximum esse, ut ita dicam, animal tricorpor, ex tribus personis constans, quum una sit omnium natura atque diuinitas? Quæ philosophia, quæ humana ratio istud mihi probauerit? Assumpsit Filius, & induit humanam naturam, illapsus diuinitus in uterum Mariæ matris: natus est, uixit humanam uitam, & uerus homo, & uerus Deus: sitiit, esuriit, fleuit, risit: mortuus, ut cæteri omnes: quæ nam philosophia, quæ nam humana ratio ista mihi probabit? Quid de Spiritu sancto, quid de eius munere & officio afflandi hominibus honestas & pias cogitationes, eiusdem donationem, eiusdem naturam, conseruationem Ecclesiæ, uitam quam sempiternam speramus: quæ philosophia, quæ humana ratio mihi probabit? Productionem uerò & fabricam totius uniuersitatis, quæ à Mose & sapienter & uerè descripta est, quæ philosophia, quæ humana ratio mihi probabit? Christum fuisse pro delictis humani generis in crucem sublatum, ita ut ille solus, & alius nemo, posset nos in gratiam ponere apud Deum patrem: quæ philosophia, quæ humana ratio mihi probabit? Usus sacramentorum, quibus homo (nisi ipsemet fuerit impedimento) ab

æternis supplicijs, ut meruerat, liberatur: quæ
 philosophia, quæ humana ratio mihi proba-
 bit? Licet per humanam rationem, omnem
 fidem detrahas omnibus & Vatibus, & Apo-
 stolis, & Christo etiam ipsi, quoniam quæ-
 cunque in sacris literis continentur, ea omnia
 nulla humana ratio mihi probabit: nec mi-
 rum. Est enim humana mens contagione pec-
 cati primi parentis in tantas tenebras conie-
 cta, ut planè quid tenendum sit, non uideat
 omnino. Hinc fit, ut si in alijs rebus allucina-
 tur, in diuinis prorsus cæcutiat: & qualis est
 ipsa mens, necesse est etiam humana philoso-
 phia eiusdem sit conditionis, quandiu sumus
 in hac mortali uita. Quod tamen nullus mo-
 neam, res ipsa abundè loquitur: quum uidea-
 mus nihil homini esse magis peculiare ac pro-
 prium, quàm errare, labi, decipere, & decipi.
 Quis unquam philosophorum, uel ardentis-
 simo studio, & labore incredibili, ocio abun-
 dantissimo potuit cõsequi, quid nam esset, cur
 Magnetes ferrum ad se trahat: & si adsit Ada-
 mas, uires suas Magnes ita remittat, aut perdat,
 ut ferrum trahere nullo modo queat? Leo dis-
 citur & gallum, & currus sonitum, qui ex
 rotis edi solet, uehementer perhorrescere, ita,
 ut quadrupedum animal fortissimum at-
 que generosissimum, cum cæteras animantes
 non solum non timeat, sed etiam contempnat,
 gallum

gallum tamen imbellem, & uilissimum, timeat, ac fugiat. Salamandra dicitur in igne uiuere; & quum sæpe comburi uideatur, nunquam tamen uritur. Remora, pisciculus minutissimus, nauem dicitur contra æstus, contra uentos, contra quamuis tempestatem solere sistere, atque in uno loco tenere firmam, immotam que. Transeo infinitas alias certarum quarundam rerum proprietates, quas occultas philosophi appellant, ex eo, quòd quare suas habeant affectiones & proprietates, unde, & quo modo, omnes ignorent. Si igitur res eas, quæ & sub sensum hominis cadunt, & de quibus profitentur philosophi se abundanter & copiosè dicturos, idè; ut efficerent, omnem laborem, omnem operam, omnem industriam posuerunt, nec tamen quicquam intellexerunt: quí poterit humana philosophia & humana ratio, ea quæ sunt extra naturæ ordinem, & à sensibus nostris remotissima intelligere? Quemadmodum singulis rebus certi quidam sunt limites, extra quos egredi non possunt: ut sensus nihil præter ea, quæ sub sensum cadunt, intelligere potest: ita humana mens & philosophia, nihil nisi quod à natura proficiscitur, intelligit: in rebus denique naturalibus consistit, ultra non progreditur, tametsi maximè uelit. Hinc D. Paulus epistola prima ad Corinthios sic

„ ait : Animalis autem homo, non capit quæ
 „ sunt Diuini spiritus, quippe quæ sunt ei stul-
 „ titia : itaque non potest ea cognoscere, ut
 „ quæ sint spiritualiter examinanda. Quali a-
 pertius sic D. Paulus loqueretur : Diuina-
 rum rerum mysteria, Prophetarum uaticinia,
 Apostolorum testimonia, promissiones nobis multas & magnas à Deo factas,
 nemo mortalium humana ratione potest as-
 sequi, nulla philosophia potest assequi, nisi
 cœlitus Diuina luce illustretur, quod fit per
 fidem. Hinc est omnium religiosorum ho-
 minum, sanctissimorumque una & eadem
 sententia : Diuina mysteria & philosophiam
 & humanum animum latere tandiu, quoad
 diuagantur extra ueram religionem. Quod
 nisi ita esset, frustra prædicaretur ac laudare-
 tur meritum fidei, & per hanc quasi ianuam
 frustra esset nobis in cœlestem patriam ingre-
 diendum. Hæc quum uideret sanctissimus
 Paulus, profitetur se non humanis rationibus
 & philosophia, sed diuino quodam afflatu,
 quem per fidem consequebatur, dum his quæ
 uiderat & audierat credebat, cœlestem se phi-
 losophiam intelligere. Sunt autem hæc eius uer-
 „ ba : Sapientiã autem loquimur apud perfectos,
 „ sapientiam inquã non huius seculi, neque prin-
 „ cipum huius seculi, qui abolentur : sed Dei sa-
 „ pientiam arcanè loquimur, abditam, quam des-
 stinauit

stinavit Deus ante secula, ad nostram gloriam, ce
 quam nemo principum huius seculi cognovit. ce
 Si enim cognovissent, nunquam gloriæ Domi ce
 num crucifixissent. Sed (quemadmodum scri ce
 ptum est) nec oculus vidit hominis, nec auris ce
 audiit, nec animus cogitavit, quæ præparavit ce
 Deus suis amatoribus. Nobis autem Deus suo ce
 spiritu patefecit. Spiritus enim omnia rimatur, ce
 etiam Dei abditissima. Nam quis hominū scit ce
 hominis negocia, nisi hominis spiritus, qui in ce
 eo est: sic Dei negocia nullus scit, nisi Dei spiri ce
 tus. Nos uerò nō mundi spiritum accepimus, ce
 sed profectum à Deo spiritum, ut intelligamus ce
 quæ nobis largitus Deus est: quæ etiam eloqui ce
 mur non eruditis humanæ sapientiæ, sed erudi ce
 tis sancti spiritus sermonibus, spiritalibus spi ce
 ritualia cōponentes. Hæc Paulus: ut ostende ce
 ret, quibus rationibus debeāt homines diuinas ce
 scripturas intelligere, dum uiderent se talibus ce
 terminis inclusos. Verum nos nihil minus cu ce
 ramus huiusmodi Dei consilia, si non uerbo, ce
 reuera tamen negligimus: nō examinamus & ce
 ponderamus diuina decreta, & res cœlestes ad ce
 Dei uoluntatem, quæ in libris sacris testata est: ce
 sed humana ratione & philosophiæ præceptis ce
 imbuti, omnia nostro captu metimur: arripi ce
 mus insolenter censoriam notam ac potestatem, ce
 nihil non tentamus humanis rationibus seue ce
 rissimè iudicare. Sunt in his alij, qui quoniã hu ce

manis rationibus assequi non possunt, id quod
 semel interierit, in pristinū statum restitui pos-
 se, propterea negent corporum resurrectionē,
 in qua sententia erant Christi temporibus Sad-
 ducaei. Alijs non uidetur probabile, quum cor-
 pus in nihilum redactum sit, animū superesse:
 ob eamq; rem animū mortalem faciunt, iudi-
 cantēq; religiones omnes, tam ueram nostram,
 quam Deastrorum falsas, ad imperitorum ho-
 minum errorem fuisse excogitatas, simul ut sta-
 tus Reipub. tranquillē & pacatē seruaretur, di-
 uinitatis metu unusquisq; in officio remane-
 ret. Tales homines deridēt uaticinia, miracu-
 la, prodigia, patefactiones, gratiam Dei, fidem,
 scripturam sacram, Deum, Christum, Spiritū
 sanctum, Ecclesiam, & eius membra sanctissī-
 ma. Si audiunt quempiam de diuinis literis sa-
 ctē, piē, & eruditē loquentē: eum appellant in-
 sanum, fanaticum, furiosum, uel demoniacum:
 quod in Christum dictum fuit. Si literatum ali-
 quem & uerē doctum audiāt, dicunt protinus:
 hic aut ebrius est, quemadmodū Apostolis per
 contumeliam dictum fuit: aut prā nimia lites-
 rarum cognitione insanit, quod conuicium fa-
 ctum est Paulo. Si fortē imperitum (ut ipsis ui-
 detur) aliquem & ineruditum audiāt, protinus
 dicunt: Quī potest iste aliquid scire, qui nullos
 audīt p̄ceptores: qui in scholam nunquā de-
 scēderit: Pauperi, egeno, misero (humano mo-
 re lo-

reloquor) de diuina uoluntate aliquid dicenti, continuò obijciūt illud, quod cæco nato (ut est apud Euangeliū) Natus es tu in peccato, & uis me docere: His ergo & similibus rationibus insolenter & confidenter humana ratio adeò superbit, ut nihil sibi putet negari debere, in omnes res dominari uult, omnibus populis leges ad arbitrium suū ferre uult, nemini collum subdit, parem neminem fert, superior esse laborat, atq; contendit. His rationibus philosophi tumidi, turgidicq; cristas attollebant, Apostolos aut deridebant, aut uerberabant, aut miserè torquebant, aut crudeliter necabāt. Adeò semper humana ratio Euangelio aduersatur. Hęc eadem humana ratio fuit nobis olim per serpentē illum, qui primos parentes nostros in peccatum allexit, suis coloribus depicta, quum blandis uerbis & illecebris Adamū & Euam ad esum pomi non solum subornaret, uerū etiam ut uescerētur induceret. Hęc eadem fratricidam Chainū fecit, & ætate Noæ uanis opinionibus decepit uersum orbē, cum spem faceret, fore ut mundus inundantibus aquis non submergeretur. Hęc eadem persuasit hominibus, ut in unum conuenirent, ædificandæ turris causa, cui à cōfusione Babylonis nomen impositum est. Hęc eadem Pharaonem Aegyptiorū regem transuersum diutius egit, ita ut omnibus modis Dei præce-

præceptis resisteret ac repugnaret. Hæc eadem
 impulit populum Israeliticū in eum errorem,
 ut de Deo suo detraherent, deferrentq̃ hono-
 res diuinos uitulo ex auro, quem ipsi finxerāt
 & idololatræ tanta caligine offudit, ut putarēt
 sibi pro uero Deo deastros esse uenerandos.
 Hæc eadem magnitudinē & excellentiā ad-
 mirabilem & ingenij & iudicij Solomonis de
 gradu suæ perfectionis deiecit: induxitq̃ eius
 patrem sapientis. Dauidē, ac persuasit, ut Vri-
 am occideret. Hæc eadem insequuta est usq̃ ad
 mortem & Vates, & Apostolos, & Martyres,
 & omnes sanctos uiros, quicunq̃ fuerunt olim
 tempore ueteris Fœderis, & etiā hoc nostro
 noui Fœderis. Vide quanta, quamq̃ stulta, de-
 mens, temeraria, præceptis, inconsulta sit, fuerit
 erit humana ratio, quum Christū ipsum, probē-
 tatem ipsam, bonitatem ipsam, sapientiā ipsam
 in crucem subegerit: qui Christus in cruce pen-
 dens, Deo patri quum summa sapientiā uideat-
 tur, soli humanæ rationi, ut inquit Paulus, stulti-
 tia uideatur. Hæc eadem inuexit in Rempub.
 Christianam simulationē, superstitionem, deas-
 trorum cultum, aliasq̃ uanitates: quæ omnia
 pietatis specie in hominū opiniones, ritus, mo-
 res & ceremonias insinuauit. Erat Respublica
 Christiana quasi cœlestis quædam politia, quā-
 diu simplex illa fides, uera, & Apostolica prin-
 cipatum tenuit: ubi non humanis rationibus,

sed diuinis præceptionibus omnia gerebantur.
 Verùm ubi humana ratio cœpit gratia & au-
 ctoritate in hac Rep. Christiana ualere, facti-
 ones multæ, magnæ, graues, et perniciosæ sub-
 ortæ sunt, quibus tranquillitas omnis & quies
 periit, status immutatus est, & quasi perditus.
 Christus dixit, nulli honorem, nulli gloriam, ni-
 si soli Deo tribuendâ esse; homines, uilia man-
 cipia, nihil per se sine auxilio Dei ipsos posse fa-
 cere. at humana ratio istud nō potuit ferre, homi-
 nem extollit, hominem commendat, homi-
 nem honorat. Nulla pestis tantam attulit un-
 quam orbi calamitatem, quantam humana ra-
 tio: nulla ignorantiâ atq; inscitia tã nocuit un-
 quâ Reipub. quàm philosophia & humana ra-
 tio legi Euangelicæ obfuerunt. Hac de causa
 Paulus admonebat Colossenses, ut ab ea sibi ca-
 uerent: quoniam, ut est apud Esaiam, ipsa solet
 homines decipere atque fallere. Quod uerum
 esse, ex his multis quæ antè diximus, latissimè
 patet: sed ex eo etiam, & quòd ut quisq; excel-
 lentiss. philosophus fuit, ita difficillimè religio-
 nem Christianâ professus est: & quòd semper
 philosophi omnium primî in Euangelium in-
 uecti sunt. Hi enim humana ratione adduce-
 bantur: nihil nisi quod sua mens capere posset,
 credere uolebant: miscebant cœlum terræ, me-
 tus Christianis hominibus ingerebant, errores
 fingebant, sectas excogitabāt atq; hereses. Præ-
 clarè

clarè D. Hieronymus philosophos solebat ap-
 pellare archihæreticos. & uulgo etiam omniū
 ore tritū prouerbiū est: Magnus philosophus,
 magnus hæreticus. Et Tertullianus libro de Pre-
 scriptione hæreticorū, de philosophis talia res-
 33 fert: Prouiderat iam tunc Spiritus sanctus futur-
 33 rum in uirgine quadam Philomene angelum
 33 seductionis, transfigurantem se in angelum lu-
 33 cis, cuius signis & præstigijs Apelles indu-
 33 ctus, nouam hæresim induxit. Hæ sunt doctri-
 33 næ hominum & demōniorū, prurientibus au-
 33 ribus natæ de ingenio sapiētiae secularis: quam
 33 Dominus stultitiam uocans, stulta mundi, con-
 33 fusione etiam Philosophiæ ipsius elegit. Ea est
 33 materia sapiētiae secularis, temeraria interpre-
 33 satione diuinæ naturæ dispositionis. Ipsæ deniq; hære-
 33 ses à philosophia subornantur. Satis Tertullia-
 ne, satis superq; est: constat enim & ex tuo &
 Pauli & Hieronymi & ueterum Patrum testi-
 monio, & ex argumētis quæ multa attulimus,
 eos esse extremæ stultitiæ condemnandos, qui
 Theologiā in philosophia fundant: constat eos
 non in rupe aut firma petra, sed in arena, tenui
 & tristi solo, Theologiam exedificare. Christus
 est solus (ut inquit ad Corinthios Paulus) et Ec-
 clesiae & Theologiæ fundamentum, non phi-
 losophia: Christus est eius solus architectus, &
 non Plato uel Aristoteles. Quocirca si nos exci-
 tat philosophia ad contentionem, quæ conten-
 tio,

tio, quoniam ex dubia rerū opinione manat, ad dubitandū nos mouet, ideo Theologiæ nomenclatura in ea nihil certi traditur, quum in Theologia quicquid docetur, constans & stabile esse debeat: si per philosophiæ cognitionem cœlestia mysteria intelligi à nobis non possunt: si diuina liantes humanæ mētis excedunt: si à philosophia hæreses ingentes sunt obortæ, philosophiam Theologiæ inutilem esse statuamus, Quamobrem si neq; triū linguarum, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, neq; Dialecticæ, neq; Rhetoricæ, neque Philosophiæ cognitio Theologiæ est necessaria: idiotæ ac illiterati homines diuinas literas perfectè possunt intelligere. Iam uero quid ad ea tibi respondebo, quæ de linguarum non solum trium (quas uocant) sed uulgarum etiam uarietate & obscuritate disputasti? Nam eò rem adduxisti, ut non modò tres istas linguas, sed ne uernaculas quidē intelligi posse, probare uelle uidereris. Quid hoc aliud est, quàm neminem loqui posse cōtenderes? Sed ad id quod tu ad finem huius disputationis de linguarū difficultate posuisti, mihi primum omnium respondendum est: sic enim melius progredietur oratio. Quicumq; uelit, inquis, sacræ scripturam uernacula lingua exprimere, huic opus est, quatuor ad minimū linguarum perfectæ cognitione: trium, Hebrææ, Græcæ, Latinæ: quartæ, eius in quā transferat, unam autem

tem, & eam quidem patriã, uix aliquis intelligit, qui poterit quatuor perfectè tenere: O plũbeum pugionem, primũ enim sunt innumerabiles uiri, qui non modò quatuor, sed nouem aut plurium etiã linguarum cognitionem habeant: cuius generis homines multos habet Gallia, multos Hispania, multos Italia, multos Germania, multos Britannia. Qui quum tam multas, tamẽp̃ uarias linguas cognoscant, eisq̃ loquantur, sine dubio quatuor linguas sine ullo propemodum negocio intelligent. Deinde nõ necesse est quatuor istas linguas perspectas habeat & cognitã, is qui uelit Biblia in uernaculam linguam conuertere: propterea quòd dum modo duas tantũ linguas intelligat, & eam uideat, & eam in quam transfert, id satis superq̃ uerit. Vno exemplo rem illustrabimus. fac esse quendam Gallum, qui & Gallicè & Latine tantum sciat, cæterarum linguarum nullam nouerit. huic nihil deerit ad diuinas literas in patriũ sermonẽ interpretandas, modò libros sacros Latine loquẽtes inueniat: quales sunt illi, quos superioribus annis Castalio edidit, non semibarbaros, non semigræcos, non semihebræos, qualis est illa traductio, quæ D. Hieronymo adscribitur: is inquam Gallus, si diligentia in conuertendo adhibuerit, non poterit non bene, fideliter, Biblia Gallicis literis exprimere. Idem etiam de eo dictũ uolo, qui Græcas literas tantum

tum norit, & patrium sermonem in quem Biblia trāsferat: quod cū multis alijs rationibus, quas mox ponam, ut credā adducor, tum hoc potissimum, quòd aut Græcis literis fideliter sacra scriptura, et Latinis expressa est, aut secus: si fideliter expressa est, nihil facilius quàm in patrium sermonem eam transferre: sin secus, ergo uniuersa Respub. Christiana miserè & ipsa decepta est, & nos decipit, qui eam credamus nobis sacras literas malè & infideliter uersas, pro ueris & fidelibus tradidisse. Gratia Deo, florentissimū est hoc nostrum seculū, si quodpiam aliud: non cedit neq; Platonis, neq; Aristotelis, neq; Ciceronis, Varronis, Pomponij, Plutarchi, Senecæ, neq; diuorum Basilij, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini ætatibus, in quibus dicitur liberalium artium & sacrarum studium longè floruisse. Ut de ingenijs, iudicijs, præclaris laboribus, & egregijs inuentis hominum nostræ ætatis nihil dicam: certè tantum laboris, curæ, diligentiae, studij in linguis peregrinis collocatur, ut & in Italia, & Hispania, & Gallia, & Germania permulti sint non modò uiri, uerùm etiā adolescentes, Hebrææ, Græcæ, & Latine lingue ita eruditi, ut eruditiores esse non possint. Quid igitur desideras cognitionē linguarum ad uertenda Biblia: quasi uerò non in omnibus ferè dixerim pagis uiri reperiātur, qui isto negotio abundè possint satisfacere: id

est, collatis inter se & Hebræis & Græcis & Latinis sacrae scripturae exemplaribus, possint in uernaculam linguam eleganter, politè & fideliter sacras literas conuertere. Ac si unus id præstare non queat (quod certè præstare cumulatissimè potest) boni pontificis officium esset atque munus, undiq; conuocatos trium linguarum peritissimos uiros in unum locum congregare, ut ex eorum communi collatione & eruditione Biblia in uernaculum sermonem transferrentur. Hoc Iudæi in gratiam Philadelphi regis fecerunt: nos Christiani homines, propter salutem Reipub. Christianæ quidni etiam idem faciamus? Sed pergis uideo, ac dicis, maiorem esse trium linguarum (scis quid dicam) uarietatem & obscuritatem, quam tri hoc uno ridicula est (ignosce) sententia tua, quòd omnium doctissimorū hominum consensione scholæ aperta sunt, in quibus iste tres linguæ docentur cum fructu & utilitate. Vestrum profectò, uestrum inquam qui Theologas aut claudere, aut destruere, ne iuuentus, Reipublicæ seminarium, tempus perderet, operam luderet, & animis frustra cruciarentur: quod magnus est in Republica non solum error, sed etiam detrimentum. Quis uestrum, qui sana esset mente, talia ausit dicere? nimirum quòd

rum quòd certò sciatis, eas linguas posse ad-
 disci atque intelligi. Quid multa? sunt qui lo-
 quant & Hebraicè, & Gracè, & Latine: idèq;
 copiose, ornatè, eleganter, propriè: ergo pos-
 sunt & disci, & intelligi. Quis hoc non uidet?
 Quòd si propter linguæ Hebrææ difficulta-
 tem & obscuritatem non posset quicquam ex
 ea bene & fideliter in aliam conuerti, Septua-
 ginta interpretes Biblia ex Hebræo pessimè
 in Gracum transfulerunt, quorum traducti-
 onem in eo quod tanquam fideliter uersam
 (quemadmodum est) Ecclesia uniuersa com-
 probauit, propterea, si tibi credendum est, fœ-
 de & turpiter est decepta. Quid? Historiam
 Euangelicam quam D. Mathæus Hebraicis
 literis conscripserat, non ne dicitur D. Ioan-
 nes (ut est apud Theophylactum) Gracam
 fecisse? Dicemus igitur hanc pessimè & infi-
 deliter à D. Ioanne, sanctissimo uiro, esse tra-
 ductam? nihil minus. Dices fortasse cum D.
 Hieronymo, incertum esse à quo uersa sit ex
 Hebræo, nec à Ioanne esse conuersam. Ad
 me, meum que institutum parum istud refert:
 quia à quocunque uersa sit, necesse est alte-
 rutrum fatearis, nimirum aut fideliter esse uer-
 sam, aut contrà: si fideliter, ergo ex Hebræo
 uertè in aliam linguam bene & fideliter po-
 test: sin minus, ergo Ecclesia uniuersa de-
 cepta est in eo turpiter, quo turpius esse ni-
 hil potest.

hil potest. Quare uerti ex Hebræo in aliam
 linguam & bene & fideliter potest. De Græ-
 co item aliquid peregrinis uerbis exprimi fi-
 deliter potest: id quod experientia quotidie
 uideas. Nam à Laurentio Valla Thucydi-
 dis & Herodoti, à Poggio Florentino Diodo-
 ri Siculi, à Politiano Herodiani historia, à
 Ioachimo Perionio libri Aristotelis omnes de
 Dialectica & Physica & Philosophia morum,
 tam insigniter, eleganter, splendide que uer-
 si sunt in Latinum, ut nihil neque eleganti-
 us, neque fidelius his uerti possit. Quot Bur-
 daeus, quot Erasmus, quot Thomas Lina-
 cer, quot innumerabiles alij uiri docti & gra-
 ues, ex Græco Latinos libros fecerunt: neq-
 id in philosophia modò, sed in Rhetorica, in
 Dialectica, in Medicina, in Iurisprudencia,
 in Mathematicis fecerunt? Quid de Theolo-
 giæ libris: an eos omnes qui infiniti propè sunt,
 ex Græcis literis in Latinas interpretatos, ipsos
 cū interpretibus condemnabimus? Deus istud
 auertat. Nam noui Fœderis in Latinum con-
 uersio ista uulgaris, quam nonnulli D. Hiero-
 nymo attribuunt, si uerti nullo modo possit de
 Græco in aliam linguam, ut tu dicis, condem-
 nanda esset & reiicienda, tanquam ea quæ aliã
 nobis sacram scripturã proponeret, quàm pro-
 poni debeat. Vbi enim quid exprimi non pos-
 test, ibi imminutio uel additio esse solet, in quo
 uel ali-

uel aliquid additur, uel detrahitur: sicq; hæc cō-
 munis trāslatio, de qua loquor, nō deberet nō
 reijci è Rep. Christiana. Vide quò spectēt tua
 argumenta: uide quid concludant. Hæc enim
 tuā opinionē necessariò consequunt. Cypria-
 no sua est trāslatio, Augustino sua, Ambrosio
 sua, Hilario sua, Tertulliano sua ab omnib. di-
 uersa (quod facillè apparet ex locis his sacrarū li-
 terarū, quos in suis libris ipsi attulerūt) Ex quo
 apparet, olim nō unā solū fuisse cōmunem: sed
 aut plures fuisse (quod mihi quidē probabilius
 uidetur) aut unūquēq; eos locos quos citare
 uellet, Latinis literis quantū poterat expressis-
 se. Nū igitur censendū est, aut illas trāslationes,
 quas uarias habuit Ecclesia olim, aut quos lo-
 cos sanctissimi patres, theologi summi conuer-
 terūt de Græco, omnes esse infideliter uersos?
 Si hoc dicendū sit, & uerè dicendū sit, quod di-
 cere perhorresco, condemnentur simul cū Ec-
 clesia sanctissimi religiosissimiq; uiri, Reipub.
 Christianæ decus & ornamentum, qui ea no-
 bis è Græco transtulerunt, quæ uerti nullo mo-
 do poterant. Basilij opera Ianus Cornarius La-
 tina fecit. Gregorij Nazianzeni cognomento
 Theologi opera Latine facta uidemus à Bili-
 baldo, Rufino, & Mosellano. Diui Clementis
 de quo meminit Paulus ad Philippenses, opu-
 scula extant in Latinum uersa per Ruffinū To-
 ranum. Faber Stapulensis Damasceni opera:

Dionysius Romanus, & Conon Norimontanus, Gregorij Nissenii; Porfena, Politianus, Capnio, Athanasii è Græco interpretati sunt. De Cyrilli operibus aliquot uertit in Latinū Trapezuntius, quemadmodū & D. Hieronymus aliquot Origenis opuscula transtulit. Quid Chrysostomi opera, non ne Latina dedit nobis Franciscus Aretinus, Vuolfangus Musculus, Brixianus? Ergo hi omnes quos Ecclesia approbat, laudat, tu sine dubio reiiciendos censes. Quid de Castalionis translatione dicam? an nō hic omnes interpretes quicūq; libros sacros in Latinum conuerterunt, ita uicūt, ut soli ipsi primæ meritō deferri debeant? Certē huius ego uiri industriam, laborem, diligentiam, quam in conuertendis Biblijs posuit, tanti facio, ut quō ad manus meas eius translatio peruenisset, nō potuerim mihi tēperare, quin in eius laudem hosce facerem uersiculos:

Nescio quis ueterum uoluit, sermone Latino

Biblia cum priscis ut loquerentur auis.

Tentaui, fecitq; suis pro uiribus omnem

Conatum. At fantur Biblia barbaricē.

Eusebius tentaui idem, tentaui Erasmus!

Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricē.

Pagninus tentaui idem cognomine Sanctes:

Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricē.

Tentarunt

Tentarunt hoc ipsum alij, sed non bene cessit:

Frustra opera est. Fantur Biblia barbaricè.

En tibi Castalio tentat, cælo auspice, id ipsum:

Succesit. Ponunt Biblia barbariem.

O opus egregium. Latio sermone loquuntur

Biblia nunc tandem Castalionis ope.

Sinemo unquã fuisset aliquid de Græco peregrinis uerbis persequutus, ubi huius uiri translationem uidisset, non dubitaret certò scio, an è Græco eleganter, fideliter & uerè in aliã linguã uerti posset. Omitto infinitos libros, qui uersi sunt in Italicam, Gallicam, & Hispanicam linguam de Græco, qui penè tot sunt, quot auctores Græcè scripserunt. Ex quibus patet, uanam esse & futilem tuam disputationē de eo, quòd libri Græci nō possint fieri Latini, aut in uulgares linguas conuerti. Iam libros Latinos in ueraculam linguam eleganter, ornate, uerè & fideliter uerti posse quis neget? Nulla enim natio est, quin aliquid de latinis literis in suam linguam uerterit. Et Plato quidem tam copiose, tam eleganter, tam fideliter Italica lingua, id est, populi, qualis nunc est, loquitur, ut si copiam spectes, ne Græco quidem cedat: si fidem conuersionem, non dubito, quin dicas Platonem ipsum, si Italicè scripsisset, totidem uerbis scripturū fuisse. Titū Liuium eadē ego lingua uersum legi: & omnes fere historicos

cum Græcos, tum Latinos in eandem conuersos linguam reperias: ut omittam interim de philosophia, medicina, theologia & mathematicis disciplinis conscriptos libros, qui etiam nunc ferè omnes Italicis literis è Latino conuersi loqui didicerunt. Idem in Gallia & Hispania reperias, sed Italia in hoc genere longè præstat. Quid multis? nullus est auctor de omnibus Hebrais, uel Græcis, uel Latinis clarus & illustris, quin Italicis aut Gallicis aut Hispanicis literis ornatè, copiose, splendideq; loquatur. Illud te rogo, utrum difficilius existimes, soluta ne oratione, an carmine aliquid de Latina, aut quauis alia lingua in aliã uertere? Carminè dices, propter syllabarum uarietatem, & numerorũ difficultatem, ac pedum. Si multi transtulerunt carmine & benè & fideliter in aliam linguam que aut soluta oratione, aut pedibus illigata continebantur: quid est quamobrè dubites, an fideliter uerti in uulgares linguas de Latino possit? Iuencus Hispanus historiam Euangelicam et à Matthæo & à Marco & à Luca & à Ioanne hexametris uersibus (ut est apud Hieronymum) penè ad uerbũ transtulit: & Hieronymus uerda Cremonensis, quãquam dissimili modo, idem tamen præstitit. In quo genere etiam & alij multi se exercuerunt: sed præter omnes, meo iudicio, excellentius unus Flaminius in eaparraphasi, qua carmine reddita Psalmos explicuit.

cuit. Similiter extant & D. Pauli epistolae à quo-
 dam pio uiro uersuum mensuris cōstrictae atq;
 illigatae. Sunt Valentina lingua omnia Euāge-
 licae historiae capita, quaecumq; in orbē toto an-
 no ad populum decantantur, eleganter & fide-
 liter uersa, quae nisi essent fideliter trāsata, nun-
 quam esset per Pōtifices & Inquisitores Hispa-
 niarū concessum, ut imprimerētur: utpote qui
 in huiusmodi negotijs diligentissimi sunt, seue-
 rissimi, & penē dixerim supersticiosi maximē.
 Vidi etiā ac legi epistolas Pauli carmine inter-
 pretatas, tum mea, tum Castellanica, ut uocāt,
 lingua. Talia pleraq; inuenies apud Italos, &
 in Gallia item, quod ex libris Marotti & Bor-
 bonij poetarum Gallicorum intelliges: quorū
 uterq; & ex Ouidio & Virgilio, & ex alijs qui
 tum soluta oratione, tū carmine scripserunt, illi
 eadem pedibus & numeris alligarunt. Quid tu
 ad haec taces? meritò taces: quoniā nemo non
 fatetur, uera esse quaecumq; dixi. Quid opus est
 uerbis? an nō & schola Sorbonica, & tua Loua-
 niēsis, uidet diuinos libros in uulgares linguas
 Gallorum & Germanorū esse trāsatos? Quid
 istae duae scholae? reprobāt ne huiusmodi trans-
 lationes? minimē uerū nō solum conuiuent,
 sed etiam ipsimet approbāt tales translationes
 fideliter esse expressas: in quibus hoc unū ipsis
 displicet, quòd sumat infinita multitudo per
 eas occasionem errandi, & non quòd malè ac

infideliter uersæ sint. Et si uerti in peregrinas
 linguas scriptura sacra nō posset (intellige semper aptè, propriè, fideliter) omnium pessimè faciunt concionatores, qui in docendo populum Christianum, sacram scripturam in patriam sermonem interpretantur. Hæc tu si non animaduertisti, humanum est dormire, non omnia possumus omnes, ac propterea ueniam mereris: sin autem uidisti, ut nunc uides, nec merententiæ cedas, nulla ratione excusari potes, atque defendi. Nam locos illos & ex D. Ioanne, & ex Patefactione, & ex alijs diuinarum literarum libris quoscunq; attulisti, & quos non attulisti, licet difficultatem habeant, eius tamen sunt generis, ut commodè possint & fideliter interpretari. Est enim omnis difficultas in uerbis, aut simplicibus, aut cōiunctis. Simplicium uerborum propria est significatio, cui quid in aliena respōdeat, uerbi gratia, in Latina & Gallica lingua, reperias, si non uno uerbo, saltem duobus, aut etiã pluribus. quod ita uerum est, ut uerius esse nihil possit. In coniunctione autem nulla est complexio, atque ambitus, quin propriè, ac fideliter uerti possit: idèq; uel totidè, uel paucioribus, uel pluribus uerbis. At difficultimum id uidetur. Videtur sanè, & est difficultimum, maximeq; operosum omnibus insantibus, balbisq; sed nō eloquentibus, aut his qui emendatæ locutionis nitorem & ornatum con-

consecratur. Nam uerba, phrascs, circuitiones, ut cunq; ponantur, sententiam aliquã efficiant necesse est: quæ sententia facillimè potest, si uernaculã linguã teneas, loquendo exprimi. Peto igitur, num istorum locorũ quos dicis fideliter uerti non posse, aliqua sit sententia certa, constans, & firma, necne sit: Si nulla sit, ridiculè uideatur Deus fecisse, quum ea nobis scriptis mandarit, quæ nihil sibi uelint: sin certa est sententia, quid facilius, quã eam uernacula lingua exprimere. At uerò sunt multa ambigua. ambigua ista perpauca sunt, & quæ imperitis, nõ doctis ambigua esse uideatur. Neq; enim istæ tuæ leues rationes (ignosce quæso) D. Hieronymũ deterruerũt, quo minus Dalmaticè scripturam sacram cõuerteret. Quid ego D. Hieronymũ? num Apostoli ueriti sunt propter istas rationes & tuas, tum Hebraicè, tum Græcè illa populis legèda proponere, quæ Christus fuerat Syriacè loquutus? Valeat igitur ista tua opinio: & nos melioribus exemplis, & Apostolorum & sanctorum uirorũ, tum rationibus firmis adducti, credamus literas sacras in uernaculã linguam eleganter, uerè, commodè, fideliter uerti posse. Sed hem, mane Bononia: etiam nõ nihil restat de tua in hanc sententiam disputatione, cui responsum oportuit. Obliuiscor interdum: sed ita obliuiscor, ut me reuocem facillè, & ita instituta persequar, ut nihil intactum relinquam.

Duo

Duo argumenta (quantū memini) prætermisi: alterum de uulgarium linguarum uarietate: alterum de uocabulorum mutatione, quæ quotidie (ut ex Horatio attulisti) alia oriuntur, alia intereunt. Quod de uarietate dixisti, id tale est, ut in elegantia & ornatu consistat: nō quod in uernaculis linguis eam difficultatem pariat, ut legentibus negocium facessat. Nam utcumq; loquatur Hetruscus, uel Apulus, (utor enim tuo exemplo) uel Ligubardus, bene inter se intelligunt: neq; de eo contentio inter ipsos est, quod non alius alium benè & perfectè intelligat, sed quod unus alium tãquam minus elaboratū & cultum reprehendat: unusquisq; sibi elegantis locutionis palmã dari uult. Quare quod ad intelligēdum id quod scriptum istis Italicis literis fuerit, attinet, nihil interest: ista uarietas linguarum, ab omnibus Italis bene intelligetur. Traducitur autem in uernaculam linguã scriptura sacra, ut ab omnibus eius populi hominibus, in cuius sermonem uertitur, intelligatur: eaq; re nullo nobis impedimēto ista uarietas fuerit. Ac si istam consideres uarietatem, uix in centū nominibus est, quæ hoc ipso q̄ non omnis Italiae communia sunt, omnibus penè sunt nota. Sed quid ego istã uarietatem curē? est ne ex uernaculis omnib. linguis ulla quæ tot habeat uarietates, q̄ Græca? aliter loquitur Atticus, aliter ille qui cōmuni sermone loqui dicitur, aliter Doricus,

cus, aliter Ionicus, aliter Aeolicus. & in his alius noua facit & inusitata uocabula, alius immutat uocales, alius consonantes, alius addit, alius detrahit singulis uocabulis quatum & quo uult modo: quae maior uarietas esse potest? At qui Apollini non dubitarunt Graece scribere, quam ista penitus uideret, perfectetque intelligeret. Ergo neque nos istam uulgarem linguarum uarietatem, quam tu pertimescis, moramur: sit quatacunque sit uarietas linguae uernaculae, in eam ego scripturam sacram conuertam. Quod autem in uno Italicae linguae exemplo de uarietate ostendi, id & de Gallica, & Hispanica, & Germanica, caeterarumque nationum dictum uolo. Haecenus de uarietate. Vocabulorum porro in uulgaribus linguis ortus & interitus magnus est, quis neget? an quod alia uocabula oriuntur, alia intereant, propterea nihil est scriptis mandandum? Ergo neque leges, neque instituta, neque historiae, neque annales, neque tabellionum instrumenta uulgaribus linguis contineantur: nihil uernaculis linguis maderetur, aut transmittatur posteris. Haec enim tuam sententiam necessario consequuntur: quod omnium sapientum uirorum non solum praecipis, sed etiam factis & consuetudini repugnat. Num Plato, num Aristoteles, num uniuersa Graecia ab scribendo destitit, quod oriuntur & interiret uocabula? num Cicero, num Varro, num Plinius, num Quintilianus, num caeteri omnes Romani

Romani scribendi curam abiecerunt, quod orirentur & interirent uocabula: Nū Hebræi propterea nihil scripserunt sua lingua, quòd orirentur & interirent uocabula? Ad istam regulam omnium ineptissimè fecerunt Apostoli, ut qui Græcis literis cogitata sua, uel Christi potius mandata persequuti sint, ea scilicet lingua, quæ omniū abundantissima quum sit, ludit fingendis nominibus, noua uocabula quotidie fingit, idèq; ad arbitriū et uoluntatē, non ad necessitatē loquentium. Tantā enim sibi licētiam Græci in fingēdis nouis uocibus assumunt, ut ubi maxima est ueterum copia, nouitate delectentur uocabulorum. At uerò (ut dicebas) erunt singulis seculis nouæ parandæ translationes: quoniam nisi tollātur ea uocabula quæ in desuetudinem abeunt, & reponātur noua & usitata, uix, ac ne uix quidem scriptura intelligetur. Esto, sit ut dicis, quid tum inde? ut mutabitur lingua patriæ, mutetur etiam & sacrarum literarum trāslatio, modò fideliter: neq; id modò omnibus seculis, sed etiam si res postulet, decimo quoque anno Comitia certis quibusdā annis ad leges uel abrogandas, uel confirmandas, uel renouandas magna cura ac diligētia habentur: quid est, cur ad legem Dei conseruandā in patrio sermone, certis & statutis temporibus, aliquid laboris nō impēdamus? Hoc sine impēsa fit, illud magnis sumptibus: hoc unus aut alter homo præstare potest,

potest, illud non nisi totum regnum in unum conuocatum: huius cura cur non suscipietur, cum illius semper habeatur? Quæ quæ ita sint, neque uarietas, neque nouitas linguarum uulgatum debet esse nobis impedimento, quo minus diuinæ literę in uernaculam linguam interpretentur. Ventum est tandem ad firmissimum tuum argumentum, quod tu uidebaris mihi Bononia ita munire ac tueri, ut in eo quasi totius causæ tuæ præsidium collocares. Non debet uerti, inquis, in uernaculam linguam scriptura sacra, quod multi sunt loci, quos tu numerasti eo loco, ex quibus arripient imperiti homines occasionem errandi. sunt autem loci innumerabiles (ut tu dicis) & inter eos sunt etiam hi: Oculum pro oculo, dentem pro dente. & Si oculus tuus fuerit tibi offendiculo, erue eum. Audio. Omitto hinc subtiles interrogationes, quas multas possem facere: responde mihi sis, qui cognosti per istos locos, quos afferebas, incidere imperitam multitudinem in errores atque hæreses: Sunt loci qui facile possunt decipere, præsertim illiteratam plebem, perge. Fefellerunt multos, non solum illiteratos, sed etiam doctos. de literatis passim sunt exempla: illiteratos nosti Waldenses, Pauperes Lugdunenses, Albigenes, Turelupinos, nunquid præterea? Collegium theologorum Louanienium iudicauit, translationem in uernaculam linguam,

certam

certam quandam nationē, quam honoris causa nominatim nō profero, in hereses induxisse. nūquid aliud: reliqua tu nosti, & noui, & rectē meminī: ideoq; ad ista tibi nūc tria, de reliquis mox. Ac primū nō te fugit, ex eo quod quis possit, non rectē inferri, id eum facturum esse. Potes enim tu cras paulō ante meridiem Bruttellam peruenire: nec propterea sequitur, eō tē ad prædictam horā migraturum. Ac de futuris quidē, præsertim his quę in hominū sunt potestate, uelle quicquā pro certo statuere, id nihil aliud est, quā aut inducere in Rempub. Christianam fatalem rerum ordinem: aut arrogare sibi tantum, ut animos hominum possit etiam rerum natura. quorū alterum iam diu hereses damnatum est: alterum, hominum est temerariorum, qui præcipitāter & temerē in iudicādo ac præcipuē Theologis. Deus nos iubet à temerario iudicio abstinere, cohibereq; semper de futuris rebus, quæ ab hominū uoluntate pendant, nostrā assertionem: nec nos desincimus malē de his, qui fortē nondum nati sunt, cogitare. De secundo quod dicis, fortasse non omnes tibi assentiantur, quod Waldensium, Albigenis, & Turelupinorū principes, & quasi capita, multi putent non fuisse literarū ignaros: sed haberi pro imperitis, quod non essent in literarum

terarum sacrarum studijs ita diu uersati, quem
 admodum alij, ut Montanus, ut Arius, ut Pelas-
 gius, ut Samosatenus, ut & eiusdē generis alij.
 Ac dubitabunt fortassis non pauci, num, quod
 isti quos illiteratos nominas, in errores incide-
 rint, propterea & ceteri omnes illiterati aut in
 eosdem aut alios etiā sint incursuri. Sed de dua-
 bus his propositionibus quid sentiā, ex his quæ
 paulo post dicentur, perspicias. Nunc ad tertiā
 uenio. Collegium theologorū Louaniensium,
 inquis, aduersus certam quandam nationem iu-
 dicauit per translationē in patrium sermonem,
 non ex se, sed hominū uitio errores procreari.
 Horrendū quidē est, ac terribile, nomē ipsum
 hæreseos, cuius crimine quēpiam accusari sine
 certis, firmis, & ueris causis impium iudico, ac
 execrandum, quid dicam condemnari? quid di-
 cam uniuersam prouinciam hæreseos nomine
 & graues causas habuerit collegiū Louaniēse,
 quum talem sentētiam ferret aduersus illam re-
 gionem, cuius nomini honoris causa parcis.
 Causas ne memora. Verūm dic, quomodo sci-
 uerit, per interpretationem Bibliorū in uuiga-
 rem sermonem, regionem illam in hæreses in-
 cidisse: sic enim & causas referes, & compēdio
 magis delectabis. Quo modo sciuit? diuinitūs
 accepit? an ex libris sacris intellexit? an conie-
 ctura nitebatur? Si diuinitūs, uox nulla de cœ-

lo extitit, prodigia ac miracula nulla extiterunt. Si ex libris sacris, nihil tale in ipsis reperias. Si coniectura, turpe quidem (arbitror) faciebat, si ex coniectura solum uniuersam prouinciam hæreseos condemnaret. Nemo tam perditus fuit iudex, tam à Deo alienus, ut sola coniectura ad damnandum duceretur: quid de Collegio doctissimo & prouidentissimo Louanienſi, num dicemus hoc in iudicando temerarium fuisse? At enim coniectura illa par erat Syllogismo ei, quam Aristoteles Demonstrationem nominat. Cedò, quæ nam est illa? Sacerdotes, inquis, eius nationis (potestatem enim maximum argumenti robur) id ipsum cum magistratu petebant, nempe ut sibi in totum translatio interdiceretur. Quod tametsi, dum à magistratu significabatur, probabilitatis multum habere uideretur: attamen, quoniam id ipsum sacerdotes approbant, & petebant, uisum est nobis non modò uerissimile, sed etiam necessarium. Videbatur enim, quod uerbo non auderent dicere, id quali pernitum, dum magistratui assentiebantur, aperitissimè loquitur, ex singulorum secretæ confessionis patefactione certò scire, hæreses suæ nationis à Bibliorū uernacula traductione dimissimam esse. Hæc est coniectura, ac potius constantissima ratio. O me crassum & rudem: qui istam uestram dialecticam non planè norim, Crassior

fiori quadam Minerua isthæc, non tam sub-
 tili examinemus. Certè ego latentem istius
 coniecturæ uim prorsus ignoro. Nam oportet
 sacerdotes hæreseos maculã suæ nationis
 aut à maculatis ipsiis, id est, hæreticis in confi-
 tendo accepisse, aut ab alijs qui nulla essent la-
 be notati. Hæretici, quorsum de eo sacerdoti
 confitebuntur, quod iudicant non esse pecca-
 tum: Rursus alijs, id est, hi qui nulla sunt hæ-
 reseos macula infecti, quorsum de alienis pec-
 catis confitebuntur: Ista non curo, dices: ue-
 rum illud quod antea dixi, quum uerbo non
 auderent, quasi nutu sacerdotes significabant.
 Isto peius dici nihil potest: nam detrahis de sa-
 cerdotum fide & probitate, ut qui secreta con-
 fessionum uobis aperirent, de quibus ne hisce-
 re quidem deberent. An existimas solùm uer-
 bo aut scriptis sensa animi explicari? Ille qui
 nudato corpore ostendens cicatrices, quum
 uerbum nullum faceret, populo Romano per-
 suasit, quod uolebat, an non aliter quàm uer-
 bis loquebatur? An muti, quum petunt quic-
 quam, nõ sine uerbis loquuntur: ergo & nutu,
 & gestu, & ex petitionis contentione etiam co-
 gitata animi explicantur: ob eamq; causam si ex
 nutu & gestu sacerdotum, aut modo petitionis
 intelligebatis, eos causas hæreseos suorũ popu-
 lorum, Bibliorũ translationi acceptas referre:
 etiam & secreta confessionis palàm faciebant.

quod negare non potestis, præsertim quum ex horum petitione non solum nos coniecturam capere, sed etiam constantem rationem dicatis. Non ita apertè (dices) significabant, sed nos ita interpretabamur, ut principio dicebã: ergo eodem reuolueris, aut ut temerè uos iudicium fereritis, aut ut ex coniectura, non ex constanti ratione rem pòderaueritis, examinaueritis, de creueritis. Hæc eò dixi, quo intelligas non me hominum auctoritate ad iudicandum, sed rationum pondere commoueri: simul ut cognoscas, non protinus quicquid hominibus uideatur, id pro uero ac certo habendū esse. Sed age, ut citius quò uolumus perueniamus, concedo tres illas tibi rationes quas supra posuisti de locis sacrorum uoluminum: cōcedo & multos esse locos quibus multi ad suam perniciē abuti sint, & etiam abuti possint multi, atq; illiterati omnium maximè: quid tum postea? Num propterea sacræ literæ idiotis non concedentur? Censeo, inquis, propterea non esse concedendas. ego contrà sentio. Quid ita? quia isti errorum morbo, qui ex uernacula traductione oriari possunt, in promptu medicina est, quam faciamus. Curabimus imprimi Biblia cum annotationibus uel ad margines, uel ad finē principium uel omnium capitum, quibus loci ambigui, incerti, & ad erroiē occasionem dātes illustrentur, aperiantur: sic animus lectorum difficul-

cultatem superabit, lapsum fugiet, & in una ue-
 ritate cōquiescet. Id ipsum in gratiā doctorum
 hominū facimus: quid nī ad utilitatē, ac potius
 necessitatē illiteratorū faciamus? An quicquid
 per abusum hominū hominib. detrimento esse
 lolet, id protinus ē uita est aut tollendū, aut ue-
 tandū: Cibo & potione ita se multi ingurgitāt,
 ut uel quatuor cōtinuos dies crudittatē ructēt,
 incidant que in morbos, & sibi & rei familiari
 perniciosos: nū propterea & cibus & potus ue-
 tandus est, aut prohibēdus, aut cōdemnandus?
 Magistratus, Reges, Imperatores, Prætores,
 Tribuni, omnes deniq; quicunq; imperium in
 Rempub. habuerunt, habēt, per abusum officij
 sui detrimenta multa in Rempub. inuexerunt:
 num propterea munus & officium eorum qui
 Remp. gubernant ē uita tolletur, aut uitabitur?
 Sole, luna, tenebris, luce, die, nocte, aëre, igne,
 aqua, terra, auro, argento, uestibus, templis, ædi-
 bus quo nō: deniq; & religione ipsa, & homi-
 nes hominibus abutuntur: num propterea que
 dixi omnia ē uita tollentur, aut uetabuntur: mi-
 nimē, minimē: res ipsę maneant, quandoquidē
 in suo queq; genere bonæ ac perfectę sunt, atq;
 adeo cōmuni hominū societati utiles: sed abu-
 sus quicunq; fuerit, is arguatur, reprehendatur,
 castigetur, puniatur: & ne in Repub. diutius he-
 reat, si eam forsitan occuparit, cauendū est. Sin-
 autē cauere nobis, totiꝫ hominū societati à de-

trimento abusus auemus, cautiones habeantur,
 aditus precludantur, per quos possit Rempub.
 inuadere. Quare certissimum remedium tollendi
 errores, qui per Bibliorum locos male intellectos
 possunt Rempub. prauis opinionibus inficere,
 hoc unum est: ut locorum ambiguitas & diffi-
 cultas breuissimis uel commentariolis uel anno-
 tationibus explicentur & illustrentur, sic erit illis
 erroribus prouisum, & sapienter prouisum. In
 qua sententia maneo, & ita censeo faciendum.
 Quod si in lucem scriptura sine huiusmodi anno-
 tationibus uel in uernaculam linguam emittere-
 tur, non est propterea prohibenda atque uetanda: idque
 propter rationes, quas mox audies. At ponti-
 ficum unus partesque sunt, arcere offensiones, &
 quemadmodum tu uocas, scandala. Fateor, quis
 negat? Verum heus tu, duo esse offensionum ge-
 nera non ignoras: alteram datam uocant, alteram acce-
 ptam, hanc non debent Pontifices, imo nec mortali-
 quisquam arcere: illam omnes ad unum prohibere des-
 bimus, Nam si accepta scandala arcere Christia-
 norum hominum esset, nihil boni, honestum ac lauda-
 bile facere uel auderent, uel deberent: imo uero
 cultus Dei, & eiusdem predicatio atque doctrina
 esset nobis deserenda, propterea quod etiam olim qui
 Christum & Apostolos scribent, Pharisei, Pon-
 tifices audirent, offendeantur. Et post Christum
 passum, Ethnici homines ad hunc usque diem fasti-
 dium habent, atque offensionem ad Euangelicam
 doctri-

doctrinam: nec desunt Christianis hominibus aliquot, qui rerum honeste, praeclare, laudabiliterque gestarum gloria, honore & ueritate perturbentur. Quare non debent homines accepta scandala fugare & arcere. Nunc abs te illud peto utrum censeas offensiones quae ex praua Bibliorum explanatione oriri soleant, datas ne, an acceptas esse? Data nullo modo esse possunt, quoniam in diuinis literis nulla est falsa doctrina: ergo in acceptis numerabuntur. Quid hoc Bononia, quod hoc quae solet ex quam Theologia didicisti, Pontificum partes esse accepta scandala, quae aut oriri possunt, aut iam orta sunt, isto modo & ratione amandare, propulsare, auertere? At, inquires, nihil prohibet, quo minus Pontifex ista aut faciat, aut facere debeat. Equidem nihil minus ad Pontificem arbitror pertinere: neque in eo fallor. Primum, propterea quod de istis nullum extat certum, quin potius nullum est, in diuinis literis preceptum: deinde, quod si euitandi eiusmodi offensiones causa, scripturae sacrae lectione prohibeat infinitam multitudinem, uideatur contra Dei uoluntatem facere: quandoquidem, ut antea probauimus, iubet Deus uniuersis & singulis hominibus, ut penes se habeant legem suam, uideant, legant, perlegant. Post, quia deberent spoliare homines omni potestate, omni actione rerum uel quantumuis excellentissimam egrediar, & causa conseruanda Reip, egrediar,

diar, & caussa cōmodandi fratri meo egrediar, idēq; propter Christū ut faciam, egrediar: nemo dubitat, quin hominum odio, inuidia, maleuolētia, scelere, offensio accepta ex mea egressione in aliquos possit permanere: quæ egressio quoniā habet ut uides offensioē, etiā à Pontificibus uetari deberet. Similiter ex stipe quā quis pauperibus irroget, ex pupillorum defensione, ex honestis laborib; ex honestis uigilijs, ex omni honestarum rerū actione, ista offensio accepta manare potest. Vnde colligeres, has omnes actiones à Pontificibus esse uetandas. Tēpla, sacrificia, ceremoniæ, cōciones publicæ uerbi diuini, res deniq; omnis quantumuis excellens, quantumuis honesta quantumuis pia, sancta; sit, si hominū prauitatē spectes, nusquam nō dabūt occasionē errādi, uel nos potius ab illis offensioē accipiemus: propter quas offensiones ex tuo argumēto deberent Pōtifices hec omnia, sacrificia, tēpla, cætera; à nobis dicta, uetare ac phibere. Quid? nōne per scripturā sacrā à quocunq; hominū legat, uel docto, uel imperito, ac rudi, offensioē in animis capere possunt homines? Ergo ut huiusmodi offensio tollatur à Pōtificib; ex tuo argumēto scripturā sacra in totū uetetur atq; prohibeat. Quæ Theologia, quis Theologus, q; liber sanę mentis ista doceat? nulla profectō Theologia, nullus neq; Theologus, neq; liber: quoniam, ut uides, nihil possent

possent aut deberent homines in tota uita face-
 re, neq; Rēp. gubernare, neq; priuatā gerere,
 neq; augere rē domesticā honestis rationibus,
 neq; domo egredi, neq; domi se continere, nec
 stare quidē, nec sedere. Sedere autem: imō nec
 esurire quidem, neq; edere, neq; bibere debe-
 rent, propter uitandā istā, quam tu, dicitis, offen-
 sionem. Valeat igitur ista tua non iam dixerim
 opinio, sed anilis & uana (pace tua dixerim) su-
 perstitio. Decipiantur, quicunq; decipiantur,
 per uernaculam Bibliorum translationem, mo-
 do per suam prauitatem decipiantur: non ideo
 scriptura sacra prohibenda est. Vitium enim i-
 stud non scripturæ, sed hominum est. Quòd si
 uelis hoc uno remedio ē uita tollere offensio-
 nes, si scriptura in manus hominum qui errare
 possunt, non perueniat: non uideo, cur eadem
 ratione non tollas ē uita pecunias, opes, possessi-
 ones, domos, uestes, aurum, ferrum, aquam,
 cibum, potionem, cæteraq; quæ in hominum
 uita reperiuntur, atq; adeo ipsam etiā religionē.
 Nec uideo, cur eadē ratione nō etiam uel ipsis
 met theologis literæ sacre interdiantur, quā-
 do quidem nemo est quin possit per eas, suo in-
 plius uitio, in grauis. hereses incidere: quod ui-
 demus multis, magnis, grauibus, & excellenti
 ingenio, iudicio, & eruditione uiris, tum eccle-
 siæ Græcæ, tum Romanæ obtigisse. Quod ita
 apertum est, ut nemo nesciat. Ex una et eadem

herba passū sumunt & animantes hæ quæ ueneno inficiunt, & hæ quæ uirus nullum habēt; an herba hæc utrisq; communis propterea excindetur, quòd in illarū stomachum illapsa in uenenum cōuersa sit; minimè. Similiter etiam de sacra scriptura iudicandum est, quæ non ex se suæq; natura, sed prepostero ac potius prauo hominum iudicio materiam solet afferre hæresum atq; errorū. Vidit, ac uidit huiusmodi hominum errores ecclesia Græca; nec tamē delit unquam sacram scripturam uernacula lingua conscriptam in templis ad populum decātare. Quid ad hoc ecclesiæ Græcæ exemplum: an tibi non probatur? an dicis apud eam non fuisse hæreses? Si primum negligas, Ecclesiæ exemplum negligis: & eius Ecclesiæ, quæ, eo prelatim tēpore, caput Reipub. Christianæ esse uolebat: & quæ nobis peperit præstantissimos theologorum, uiros singulares, Athanasium, Origenem, Cyrillum, Gregoriū, Chrysostomum, aliosq; genere de eodem. Sin hæreses apud ecclesiam Græcam non fuisse dicas, nulla natio neq; pluribus, neq; magis perniciosis hæresibus abundauit. Ergo si ecclesia Græca literas diuinas promiscuæ multitudinī non negauit, non est cur eas nos populo interdīcamus. Quid D. Paulus, quid D. Petrus, quid D. Mattheus, quid reliqui omnes scriptores & ueteris & noui Fœderis? quū uoluntatē Dei scriptis testatā relinque-

relinquerent, num uiderunt ex scriptis suis he-
 reses posse suboriri: uiderunt. Viderunt, nec ta-
 men se ab scribendo abstinuerunt: cur ergo uos
 hæresum timore, infinitam Christianorū mul-
 tudinē sacra lectione prohibebitis? Quid De-
 us ipse: nō ille norat, ex sacris libris hæreses per-
 hominum prauitatem esse manaturas: norat.
 Norat, nec tamē libros sacros scribi uetuit: cur
 ergo hæresum timore uerti in uernaculam lin-
 guam prohibebit? Certē mihi causas diligenter
 intuenti, quas tu in hanc sententiā dixisti, illud
 sepe in animum uenit, nulla lingua, nec He-
 bræa, nec Græca, nec Latīna sacras literas cō-
 tineri oportere, si hōc in uernaculam linguam
 eas uerti non decet, quōd multi sumant erran-
 di occasionem. Nam quocunque sermone illæ
 exprimantur, modō intelligi possint, semper et
 ubiq; errandi amplam facultatē dabunt, si per-
 turbatio humani animi uelit eas in malam par-
 tē aut interpretari, aut rapere, aut cogere. Quid
 quōd & plurima, & maxima, & perniciosissi-
 ma commenta religionis, falsæq; doctrinæ in
 Rempub. sunt importata per homines, qui aut
 Græcē, aut Hebraicē, aut Latīnē scirent. Lege
 omnes annales & historias eorum qui scriptis
 hæreses omnes persecuti sunt: & uidebis om-
 nes archihæreticos aut tribus linguis, Hebræa,
 Græca, Latīna: aut duabus, Hebræa & Græca,
 Hebræa & Latīna, uel Græca & Latīna erudi-
 tos fuisse.

tos fuisse. Ergo quum & plures & maiores hæ-
 reses hæctenus excogitatae fuerint ab homini-
 teras Hebræas, Græcas, aut Latinas, nō per uer-
 naculas caperēt: superest, ut aut neq̄ tribus illis
 linguis scriptura cōtineri debeat, aut etiā uerna-
 culo patrioq̄ sermone possit interpretari. Sed
 obstat fortassis tua egregia Demonstratio:
 Quicquid fratris conscientiam aut Rempub.
 ex mala doctrina & ex scandalo lædit ac per-
 turbat, à Pontificibus prohibendum est:
 Omnis traductio in uernaculam linguam Bi-
 bliorū, ex mala doctrina & scandalo fratris con-
 scientiam lædit, & Rempub. perturbat:
 Ergo omnis translatio Bibliorum in uernacu-
 lam linguam, à Pontificibus prohiberi debet:
 Elegantissimè, scilicet, cōclusisti atq̄ cōstanter:
 assumptio enim omniū est, quas ego uiderim,
 falsissima. Nam quum scandalū quod per hæ-
 reses quæ à sacris literis oriūtur, hominibus da-
 tur, nō eius generis sit ut ponatur in earum of-
 fensionum numero quæ data uulgo nominan-
 à Pontificibus arceri. Nam ut antea satis à no-
 bis ostensum est, non scandala accepta, sed scan-
 dala data (utor enim tuis uocabulis) à Pontifi-
 cibus prohiberi debent. Sunt autem offensio-
 nes quæ ex scriptura manant, non date, sed ac-
 ceptæ. Vis cognoscere quàm malè syllogismū
 constru-

construxeris, quamcūq; nihil concluderis: utar ego etiam hoc syllogismo:

Quicquid fratris conscientiam aut Rempub. ex mala doctrina & ex scandalo lædit ac perturbat, à Pontificibus prohibendum est.

Omnis scriptura sacra, quacūq; lingua contineatur, ex mala doctrina & scandalo fratris conscientiam lædit & Rempub. perturbat: id quod & exemplo Iudæorum & hæreticorum Græcæ & Romanæ Reipublicæ constat; & ex eo etiam, quòd nemo non potest sacris literis abuti, quemadmodum suprâ ostensum à me est pluribus uerbis:

Ergo omnis sacra scriptura quacūque lingua contineatur, à Pontificibus prohiberi debet. Rides: & merito quidem rides: erat enim syllogismus tuus planè ridiculus. què si ego suis coloribus uelim nunc depingere, nullus dicendi exitus reperiretur. Sed satis est, ipsum mendacij & fallitatis coarguisse. Quod addis ad finem: Si ab experientia, consuetudine, sermone quotidiano, atq; ex secreta hominū confessione constaret, provinciam aliquā populū ue tam solidam, ueram, cōstantemq; habere de Deo rebusq; diuinis opinionem, ut nec à uera fide errarēt, nec errare uellent, tamen si possent: his ergo in natiuum sermonem interpretata Biblia non negarem. O sententiam Paulo dignam. Quis hic risum teneat? quis nam iste populus? quis nam

quis nam quæso est: ubi nam gentium reperitur: in cœlis tatum, credo. nam quicumque mortalem hanc uitã degimus, homines sumus, humana sapimus: id est, falli possumus, & fallere. Vbi igitur inuenies populũ, in quem ista oratio tua iure competat, ac merito? Clamant Vates: Omnes errauerunt, nõ est qui rectẽ faciat, non est, ne unus quidem. Septies labitur & errat iustus quotidie: & tu dicis, Si populus esset qui nec uagaret & erraret à uera fide. David, unum aut alterum hominẽ sine errore non reperiri in hac uita queritur: quo nam pacto tu prouinciam uniuersam aliquam, aut omnem populum aliquem perfectẽ & constanter in uera fide reperias? Nusquã talem populum, nusquam uel repetita superiorum temporum, uel nostra memoria, nusquam talem populum reperias. Quo tempore Christus homo inter homines uixit, erant Sadducæi, qui mortuorum resurrectionem negabant: Petro & Paulo ceterisque apostolis negotium facebant, multarum falsarum opinionum atque errorum, usque eò, ut Ioannes Apostolus coactus fuerit Euangelicam historiam conscribere, ut eorũ fanaticum errorem condemnaret, qui Christi diuinitatem negabant. Insequentem autem tempore nunquã nõ subortæ sunt hæresum infinita myriades. Quando enim Resp. Christiana à cõuulsis hæresibus cõquieuit? Nulla ora atque regio est uel

est uel in Europa, uel Aphrica, uel Asia, que nō
 aliquādo hereseos labē atq; maculā cōtraxerit.
 Vbi igitur populū illum tuum, qui nec errarit,
 nec erret, nec uelit errare, tamen possit, inue-
 niemus: Si loci ambigui, si loci difficiles, si loci
 qui aliud fronte aliud in recessu habēt, errandi
 offerūt occasionē atq; materiā, nō est cur debe-
 as, cur uelis, sacras literas in uernaculā linguam
 usquā interpretari: quandoquidē qui populus
 (ex tua sententiā, do enim qualē tu fingis, talē
 populū inueniri) in Christianicis perfectus est,
 is poterit in hæreses incidere, per uernaculam
 translationē, an non: id enim ipsum multis tu
 locis ostēdisti. Quare nō est quod dicas, Si po-
 pulus qui nec erraret, nec errare uellet, reperire
 tur: utcumq; enim dicas, necesse est cōcludas ex
 tua sententiā, nunquā scripturam sacrā in patriū
 sermonē uerti debere. Si populus qui nec erra-
 ret, nec errare uellet, tamen posset: quis talia
 unquā audiit: quis unquā potuit, potest, poterit
 affirmare, se certò scire esse quendā populū, qui
 nec errarit, nec errare uelit, tamen possit: Ex
 cōsuetudine, in ges, colloquijs, secreta cōfessiōe
 facile p̄cipi potest, atq; intelligi. Quasi uerò ge-
 quid in corde clausum, idē apertū in ore gestēt
 homines: quasi uerò hæretici uelint de pecca-
 tis suis cōfiteri omnes: quasi uerò homines ho-
 minū cogitata possint per se ipsos rimari, scru-
 tari sic, ut ea certò cognoscant. Ad populum
 istum

istum tui redeo. Cedo, ubi nam is est: nusquam
 apparet, nusquam est. Quid ergo aliud est, tale
 populum fingere, nisi aperte affirmare, nulla ra-
 tione, atque nunquam Biblia in uulgares linguas
 esse interpretanda. Hoc cum ex tua argumen-
 tatione necessario inferatur, quod maius contra
 tu argumentum excogitari potest, quam quod
 tu aduersus te attulisti: dicis enim aduersa, con-
 traria, & secum maximè dissidentia. Itaque tuo te
 gladio iugulas: atque ego & ex tua repugnantia,
 & ex Ecclesie Græcæ, & ex Vatum & Apo-
 stolorum exemplo, & ex eo quod offensiones
 acceptæ à nemine Christianorum sunt fugien-
 dae, concludam & obtinebo, tametsi hæreses per
 translationem uernaculam sacrorum uoluntatum
 suboriantur, nihilominus esse faciendum.
 Par (inquis) est, ut quemadmodum unus est Deus,
 sic eius uoluntas scriptis testata non pluribus
 quam una lingua contineatur: eaque de causa sa-
 cræ literæ non sunt patrio sermone interpretan-
 de. Ha ha he, rideamus affatim hæc omnes. & tu
 Bononia meum hunc risum boni consule: est
 enim hoc tuum argumentum eius generis, ut uel
 Catonem ipsum ad risum prouocaret, tum pro-
 pter eius leuitatem, (bono animo accipe) tum
 propter eius doctoris auctoritatem, unde ipsum
 desumpsisti. Et uidi, & sæpe istud ipsum argu-
 mentum legi, apud Gersonem. Quare non iam
 tecum mihi, sed cum Gersone ipso esse uolo.

Adis

Adis magister noster (sic enim oportet appel-
 lari doctorē Parisiensem, & quidem etiā Can-
 cellarium, ut uocant, idēq̄ literis grandioribus)
 Adis inquā magister noster. Vnus est Deus,
 ergo debet esse una tantū Triadis persona, nō
 tres. Vnus est Deus, ergo unus tantum bonus
 genius, & unus itē malus esse debet. Vnus est
 Deus, ergo unus tantum sanctus uir esse debet.
 Vnus est Deus, ergo una tantum stella esse de-
 bet, Vnus est Deus, ergo unū tantum elemen-
 tum, Vnus est Deus, ergo unum tantum nau-
 gium esse debet. Vnus est Deus, ergo una tan-
 tum ciuitas esse debet. Vnus est Deus,
 ergo unus tantum homo esse debet. Vnus est Deus,
 ergo unus tantum oculus, unum brachium, u-
 nus digitus, unus pes, unus dens, unus pilus ef-
 se debet: deniq̄ quid non similiter concludes?
 Si ut Deus unus est, sic eius scriptura una lin-
 gua exprimi debet, cur tribus linguis Hebræa,
 Græca, Latina continet? Quid hoc magister no-
 ster: qd hoc tuo argumēto leuius? quid futilius?
 quid stultius? Dissiparet (inquis) societas homi-
 nū, atq̄ adeò theologia ipsa, si sacra uolumina
 in uulgares linguas cōuertantur: uarietas em̄
 linguarū (ut exemplo nobis est Babylon) homi-
 nes disiecit, atq̄ alios ab alijs alienat. Ista rogo
 te disiectio & dissolutio hominū, quæ ad Baby-
 lonē accidit humano generi, ex uarietate ne lin-
 guarū, an quod alij alios nō intelligerent, acci-
 dit: Non

dit: Nō utiq; ex uarietate. nā si ipsi inter se intellexissēt q̄ dicerent, tametsi uarijs linguis loquebant, ab incepto opere nō destitissent: & hodie etiā re ipsa cōperimus eos amare inter se, q̄ quū uarijs linguis loquantur, mutuò & intelligant, & intelligantur. Quare uera dissolutio hoc facta est, quòd ea quæ loquendo aperirentur, intelligi non possent. Itaq; uera copulatio atq; animorum coniunctio tunc existet, quum cogitata mentis, præsertim honesta & recta ab omnibus promiscuè percipiuntur, & intelliguntur. Scriptura uerò sacra in uernaculam linguā uersa (quæ certissima est benè uiuendī regula atq; lex) quòd à pluribus intelligetur, eo plurimum conciliabit, alet, augebit, sustentabit. Nam si diuersi ritus & leges animos solent hominum alios ab alijs alienare: profectò eiusdem legis cōmunio, atq; idē usus coniunget & copulabit. Quare scriptura sacra patrio sermone interpretata, non modò non dissoluet humanam societate, sed etiam conciliabit, stabiliet, cōfirmabit. Moriar, ni hoc argumentum ex Gersone fiet: olet enim ac sapit eius doctoris singularem eruditibrū, unde desumpseris, recte meminī. Nūquid aliud habes à Gersone? Prodeāt ista Gersonga. Fieri, inquis Gerson, diuinorum uoluminum inuersionem & mutationē, dum in uernaculā linguam

linguā transferuntur. Fateor, aliter enim translatio fieri nullo modo potest: uerūm quid tum inde: an in certa quædam uerba scriptura illigatur, extra quæ egredi non queamus? nihil minus, quandoquidē non quibus uerbis, nec quo ordine (modo ne barbarè loquaris) scriptura sacra uertatur, sed quā fideliter uertatur, considerandū est. Exprimantur quacūq; uoles lingua diuinę literę, idēq; fideliter: tantum abest, ut tum mutatio fiat, ut eedem, quæ semper fuerāt, literę reperiantur. Mutatio enim rerum in uertendo fugienda est, non uerborum. Itaq; quæ in uerbis accidit mutatio ac uarietas, ea pro nihilo (quod ad mutationem atinet) habetur. Hac de caussa Septuaginta interpretes non dubitarunt in Græcum de Hebræo Biblia cōuertere: nec Apostoli & Hebraicè & Græcè, ea quæ Christus Syriacè loquutus fuerat, interpretari. Neq; D. Ioannes ueritus est istam mutationem, quum Euangelicam D. Matthæi historiam Græcam faceret de Hebræa. Quid Resp. Christiana usq; an timuit, ne non mutatio ista uerborum eueniret, cum passa est diuinam scripturā Latinis literis exprimi? Quid theologi? an propterea in faciendis concionibus ab explicandis sacrorum uoluminum locis abstinent, quòd animum induxerint, in uertendo in patrum sermonem, diuinas literas immutari: nihil minus. Si ad istam rationem perpendas atq;

examines Ligubardicā theologorum scholā,
 ut in permutandis Bibliorum uerbis, quōd mu-
 tatio eorum fiat, eo scriptura contaminetur: ni-
 hil schola ista tua esse potest ineptius, nihil tur-
 pius, nihil inquinatius, nihil sceleratius, nihil à
 uera theologia alienius. Habet enim lex cētas
 uocabulorum fictorum myriades. fictorū au-
 tem: imò obloletorum, imò inulitatorum, imò
 barbarorum, eorundemq; nec penes sacrā scri-
 pturam, nec penes antiquos theologiae doctō-
 res reperorū. an mentior nulla pagina uestro-
 rum doctorum, nulla linea, nullus tenarius uer-
 sus est, quin similibus uerbis confletur atque
 constet. Quare ualeat ista tua de uocabulorum
 mutatione futilis opinio: ridicula enim est, ac
 superstitionis plena. Ex quo fit, ut sermo ille
 „ Dei: Ne quid additote ad id quod ego uobis
 „ præcipio, ne ue quicquā de eo detrahitote: &
 quod tu dixisti, ne Iota quidem unum de lege
 Dei esse ab hominibus prætermittendum, aut
 immutandū: id non de uocabulis, sed de rebus
 in scriptura sacra explicatis est interpretandū.
 Nihil enim minus quā uerba curat Deus,
 modò res maneant eodē, atq; constent: id quod
 ex his intelligi potest, quæ & in Leuitico, &
 Deuteronomio, sic populo suo præcepit Deus:
 „ Omnia mea instituta iuraq; seruatote, & eis pa-
 „ retote. & Instituta mea seruatote, & eis pa-
 „ rete. & Cōseruate præcepta Iouæ Dei uelini, quæ
 ego

ego præcipio uobis. & Seruatote hanc discipli-
 nam, instituta, iura, quæ ego uobis hodie tenē-
 da præcipio. Quid his in locis Deus, an istius
 tuæ superstitionis uerborum non mutandorū
 facit mentionem: minimè, sed rerum, sed insti-
 tutorum, sed præceptorum. Quare locū illum,
 Nequid additote, & illum alium de lota nō tol-
 lendo ac minuendo, aut mutando, nō ego, sed
 Deus ipse in eā sententiā accipit, ut res nō mu-
 tari à nobis debere, iubeat ac imperet. Quod
 cum ex supradictis locis, tum maximè ex hoc
 patet, qui est in duodecimo capite Deuterono-
 mi. Quicquid ego uobis præcipio, curatote ut
 id faciatis: neq; quicquam huic uel addatis, uel
 detrahatis. Quocirca apagete tu cum tuo Ger-
 sone, & unā simul cum uestra ista explicatio-
 ne: tratatitia enim, atq; adeò sacris literis cōtra-
 ria est. Vim enim affert, & eam cogit ad uestrā,
 nō Dei uoluntatem loqui. Ostendit ex notati-
 one religionis, & ex cōmuni ac inueterata ho-
 minum opinione, uel cōsuetudine potius, qui
 libros sacros uernacula lingua expressos sem-
 per habuerūt: tum ex Dei, Vatū, Christi, Apo-
 stolorū, Ecclesiæ quū Latine, nū potissimū Græ-
 cæ testimonijs, qui omnes plebeio sermone uel
 Biblia conscripserunt, uel diuina mandata ad
 populum explicauerunt (inter quos etiam & ex
 D. Hieronymi exemplo ostendi) diuinas lite-
 ras uulgaribus linguis esse persequendas atq;

interpretandas. Quum autem Christus ab omnibus cognosci uelit, & eius cognoscendi ab uniuerso orbe melior ac promptior uia ac ratio excogitari nulla possit, quam si in omnium nationum uernaculam linguam Biblia transferatur: quumque nullus doctor, nullus concionator & uerius & melius possit nobis mandata Dei explicare, quam ipse Deus (homines enim fallaces sunt, & decipiunt ac decipiuntur, quod à nobis satis multis explicatum est) propterea cõuici, patrio sermone sacra uolumina esse exprimenda. Id ipsum demonstraui ex eo, quod à non penumero euadamus, quales libri esse solent, quos legimus, & sermones eorum, quibuscum loquimur: & ex eo, quia literæ diuinæ animi dicuntur alimentum, ut & cibus potioque corporis: & ex eo, quod diuina lectio ex sententiâ & Davidis & Pauli, arma militiæ nostræ sunt, quibus nos & à malo genio, et mûdo, & humana cupiditate defendimus: & ex eo, quod homines Dei & filij, & serui, & amici, & inimici sumus: & ex eo, quod scriptura sacra humanæ mentis lux lucidissima sit: & ex eo, quod, si reuero credendum est, literæ sacre sunt religionis Christianæ fundamentum: id ipsum, in quâ, demonstraui. Quos igitur libros sanctiores, aut quos sermones maioris pietatis plenos, aut commodiores leget infinita multitudo, quam sacros: Qui alimentum corpori detrahat, mortis causam

tis causam afferre solet: similiter & is quicumque
 diuinam scripturam animo adimat, mortem ui-
 detur animi optare sempiternam. Extorquen-
 tur etiam in eo arma de manibus imperite mul-
 titudinis, quibus se, uitamque tueri debebat, &
 inimicos non propulsare modo, sed etiam fu-
 gare ac superare. Præcluditur ite aditus ad pa-
 trem nostrum coelestem, quandoquidem filij
 quæ, siuis mandata eius audire non possimus
 ab eiusdem ore: nec, si serui simus, iussa eius exe-
 qui: nec, si amici simus, eius negocia gerere:
 nec si inimici simus, eius reconciliandæ gratiæ
 facultas datur. Quis filium, aut amicum, aut
 seruum uetet ad parentem, amicum, ad herum
 accedere, & ab ipsius ore de rebus communi-
 bus et ad se pertinentibus interrogare? Quis uult
 nos in tenebras conijcere, quis uult nos sine fun-
 damento ædificare, nisi is qui sacra nos Biblio-
 rum lectione priuet? Artes omnes & audien-
 do, & legendo percipi solent: cur non etiam in
 theologia patiemur, quæ omnes Chri-
 stiani theologi esse debeant? Atque hoc unum
 etiam est de his argumentis, quæ tulimus. Do-
 cui præterea, uulgarè oratione interpretata Bi-
 blia emolumento esse omnibus theologiam &
 docentibus & discipulis: itemque magnam ef-
 se concionatorum paucitatem, qui conciona-
 tores tamen si numerosiss. essent, nihilo tamen
 minus multis de causis non esse populum à sa-
 cra lectio-

cra lectione prohibendum, & contendimus, &
 obtinuimus. Quumq; huic uni rei illud uide-
 retur obstare, quod sublimior esset diuina scri-
 ptura, quam ut ab illiteratis & idiotis intelli-
 gisset, etiam hoc impedimentum amouimus,
 & eam ab idiotis multo absolutius, atque per-
 fectius interdum, quam ab his ipsis (qui pecu-
 liari uocabulo theologi nominantur) intelli-
 gisse probauimus. Deinde & quod Theolo-
 giæ plures operam dabunt, & quod facilius scri-
 ptura fiet, & quod citius addiscentur, & quod
 populo magis commendabitur, & quod in om-
 nes Reipub. partes utilis erit ac fructuosa, sacra
 scripturam propterea exprimi debere natio-
 cuiusq; nationis sermone apertissime demon-
 strauimus. Postea recitauit aliquot e sacris Bi-
 blijs locos, ex quibus constat, Dei præceptum es-
 se, ut omnes omnium ordinum, ætatum, generum,
 fortunæ, lociq; homines diuinam legem audiret,
 legerent, relegerent: ideoq; uertenda esse Biblia
 ut hoc Dei decretum omnes æque suscipere, ser-
 uarent, exequerentur. Hinc me conuerti ad ea
 quæ contra me tecum stabant: planumq; feci,
 & apertum, sacras literas à prophanis homini-
 bus non contaminari, quemadmodum tu pu-
 tabas: simulq; probauit, ab omnibus eas esse uer-
 sandas, non modò legendas: easdemq; nõ eare
 contemptum iri. quod facilius intelligerent, patria
 oratione explicata. Postea multis argumentis
 sum uisus,

sum usus ad probandū non esse superuacaneos in Repub. Christiana doctores, si uulgariū linguarum sermone Biblia loquerentur. Dixi, sacros libros non habere difficiles explicatus: dixi, non modò nihil superbiæ in Theoolgi uocabulo inesse, sed etiā nomē ipsum esse pium ac plenum sanctitatis. Literas præterea humaniores, linguam Hebræam, Græcam, Latinam, Dialecticam, Rhetoricam, Philosophiam probaui multis & magnis argumentis non esse necessarias homini theologiam discere cupienti: ob eamq; causam à pueris, mulieribus, uiris illiteratis & idiotis, eam perfectè, quantum humana ratio fert, intelligi posse. Postea demonstraui, sacras literas in uernaculam linguam fideliter uerti posse: nec, quia multi errandi ab ea occasionem sument, propterea uetandas esse. Postremò confutaui Gersonæa tua, cuius tam fatua erat opinio, ut nauseam mihi uel eius nomen faciat. Nunc disputatione mea tâquam causa perorata, res ipsa exigere uidetur, ut uos ad meam sententiam adhorter, excitem, atque inflammem: sed ista sint ornamenta aliâs in promptu, nunc prætermittantur. Neque enim res tanta tamq; magna, quanta hæc est, colores illos desiderat: neq; uos ij estis, ut sitis in meam sententiâ trahendi potius, quàm ducendi: neq; angustriæ temporis, id ut faciam concedunt.

Quæ quū à me essent dicta, finem feci. Tum

Bononia: Habeo, inquit, sententiam tuam, nec eam admodum aspernor. Neque enim ego tibi prorsus assentiar antè, quàm ista de sententia amicos meos atque æquales, ornatissimos viros, doctissimos theologos Louanienses conuenero, uel in eadem esse sententia uniuersam Ecclesiam intellexero. Tum ego subridens: Huius Bononia, inquam, ut te mea parum mouit oratio. prouocas, ut uideo, & ad alium iudicem causam defers. At ego uno te iudice contentus essem: magis enim idoneum, quàm tu es, ad finiendam hanc litem inuenies neminem. Ita disputatione peracta, Bononia remansit: & nos in suam quicquid domum discessimus.

Hæc habui, Franciscæ Bouadilli, Cardinalis amplissimæ, quæ de libris sacris in uernaculam linguam couertendis dicerem: quæ sunt à me, ut uides, duobus libris disputata. in altero, quod accurate potui ac diligenter pro his dixi, qui uerba dicant, uerti sacra Biblia non debere: quam ego causam sub Bononiæ persona egi. in altero, quod ego ipse propria persona, proprioque sermone usus, contra Bononiam dixi, & quæcumque erant ab eo proposita refutauit: eoque rem deduxi, ut libri sacri in patriam cuiusque nationis oratione transferendi esse uideantur. Quod si cui mirum uideatur, eas me Bononiæ partes dedisse, eaque in re, quam ipse forsitan tractare noluisse: hunc ego admoneo, ut mirari desinat, putetque non temere

temerè id à me esse factum, sed consilio atque ratione: habui enim in eo & meæ facultatis rationem, & Bononiæ dignitatis. Nam sic est in priori libro instituta disputatio, eo ordine progressa, & eo nitore, ut me mei laboris non pœniteat: & res in eo disputatas, quoniam theologice sunt, sermone cuiusuis principis, uiri dignas iudicabis. Literaria disputatio quouis homine digna est: hæc nostra multo erit dignior, quippe quæ sit & literaria & theologica. Et quæ in frequenti illo cōfessu, cuius initio primi libri feci mentionem, ipse Bononia à me hac de re discreparet, & quasi me reprehenderet, quòd uerti diuinos libros in uulgares linguas dicerẽ: & ille mihi occasionem, ac potius grauissimam hac de re scribendi causam dedit, & ego mihi cum alio quàm cum ipso disputandum nō putauit. Par enim erat, ut ei qui me publicè accusarat, & actoris personam & primas darẽ partes: ego mihi tanquã reo, patroni partes, & easdem secundas sulciperem. Itaq; nihil est in hãc partem peccatũ. In eo fortasse uidebor alicui reprehendendus, quòd ea faciam loquentem Bononiam, quæ tantum abest ut ipse aliquando aut iudicarit, aut dixerit, ut ne in mentem quidem ipsi unquam fortasse uenerint. Huic ego respondebo, à Bononia me, quum de hoc genere toto inter nos disputaremus, non nisi unum aut alterum argumētum, & illud parum efficax,

efficax, quod ab illo staret, audiisse, ideoq; si
 quid ego aut grauius efficaciusq; aut locuple-
 tius pro illo excogitauī, quā pro se ipse ille fe-
 cit: in hoc, & quoniam eius sententiam rerum
 & uerborum pondere ac grauitate stabilio, ha-
 bendam ab illo mihi gratiam puto, & eius com-
 mendari industriam, ingenijq; acrimoniā præ-
 d. cari arbitror. Eundem enim quenque in lo-
 quendo fingimus, quem esse existimamus.
 Quocirca si qd acute, grauius, sublimē, splen-
 dideq; sub Bononiæ persona à nobis disputatū
 est: id ipsum ego existimabam, si Bononiā con-
 tra me scripsisset, dicturū fuissē, ob eamq; cau-
 sam, quicquid huiusce generis in primo libro
 reperietur, id ego Bononiæ ascribi uolo. Sin
 autem uel mediocre quid, uel nimis tritum ac
 populare reperias: illud meum ducito: hoc pu-
 tabis ab ima plebe de industria peritum fuisse,
 ut nihil intactum relinqueretur, & omnibus
 omnium aetatum, ordinum, ingeniorum ho-
 minibus abundē satisfieret. Nobis enim talem
 quæstionem absolutē, perfectēq; tractare cu-
 pientibus, non quid unī hominum generi, sed
 quid omnibus uideretur, considerandum fuit:
 in eoq; laborādum, ut summis, medijs, imis res-
 sponderemus. Et summis quidem ita satisfactū
 puto (faceat arrogantia) ut non sint amplius
 meam in eo quæsituri industriam: nec medijs
 & infimi nostram desideraturi operam, quam
 quam

quam mediâ & tenuia argumenta, quæ contra me dici poterant, multa consultò prætermisi: quòd & essent nimis minuta, & eius generis, ut uel imperitis negotium nullum queant exhibere. Firmissima certè, & summa quæq; argumenta, quæ contra nos facerent, diligenter persequuti sumus. Itaq; Bononia iã non suam modo, sed & meam, sed & popularium etiam hominum personam sustinet: atque ita me tuebor. De secundo autem libro, atque adeò de toto opere quid statuendum sit, id tu pro tua eruditione intelliges, pro acrimonia ingenij prospicies, pro tua singulari prudentia iudicabis ac statues. Certè hoc nos labore nostro consequuti uidemur, ut rē per se difficilem, planam & apertam faceremus: ut rem contentionis plenam, à cōtentione uindicaremus: ut rem summe utilem, quæ in abditissimo loco tanquam thesaurus, per præstigias altissime fossa delitebat, tãdem in apertū, sub omnium aspectum poneremus. Opus sanè arduum, & laboris plenum; dixissem etiam literatum, nisi me modestia mea tali uerbo interdiceret. Dicam igitur nunc, literarium & literatum appellari tum licebit, quū tibi probari intellexero. Vale: iudicium tuū pro centū millibus fuerit.

Louaniij, secundo Nonas Ianuarij,
Anno à natali die Christi

1555.

ERRATA.

Pag. 17. uers. 7. *facilius* 47. 6. *Neque* 61. 19. *fuertis*
81. 17. *disputantur* 104. 5. *attingis* 165. 26. *concederem, atq;*
170. 22. *balantes* 207. 1. *sunt* 219. 4. *nulli* 251. 20. *At que-*
lis 264. 12. *ducitur* 291. 5. *primum* 300. 23. *essent*
341. 8. *cruditatem* 360. 9. *quod.*

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM 1630 TO 1800

The first settlement in Boston was made in 1630 by a group of Puritan settlers from England. They arrived on the ship the *Arcturion* and established a colony on the eastern shore of the harbor. The settlers were led by John Winthrop, who gave the colony the name of the City of the Puritans. The colony grew rapidly and by 1634 it had a population of about 1000 people. The settlers were devoted to their religion and to their community. They built a church and a school and they worked hard to make their colony a self-sufficient one. In 1639 the colony was incorporated as the City of Boston. The city continued to grow and by 1700 it had a population of about 10,000 people. The city was a center of trade and commerce and it was one of the most important cities in the colonies. In 1773 the city was the scene of the Boston Tea Party, a protest against British taxation. The city was then occupied by British soldiers and it was the center of the American Revolution. In 1780 the city was captured by the British and it was the scene of the Battle of the Clouds. The city was then occupied by the British until 1783. The city was then returned to the Americans and it continued to grow and prosper. In 1800 the city had a population of about 20,000 people. The city was a center of trade and commerce and it was one of the most important cities in the United States.

RERVM ET VERBORVM IN FR.
Furij C. Bononia præcipuè memora-
bilium INDEX.

A Brahami & Isaaci de puteis cum Palesti- nis concertatio. 218	animus, scripturæ indumento amictus quid patiatur. 272. 273
abusus reprehendendus. 341	animi natura ubi explicetur. 73
per Abusum quod fit, non fa- cile tollendum aut uitan- dam. ibid.	animi nutrimentum quale. 152
Academie præceptum unde 99	Apostoli. 355. quando ad do- cendum Euangelium mis- si. 15. quomodo diuersis lin- guis loqui potuerint. 126. quarum rerum testes. 144. quomodo Græcè scripse- rint 202
adamas gemma 310	Apostoli, Novi testamēti mon- tes dicti 193
addiscentium tria officia. 164	Apostolorum præceptor Chri- stus 16
admiratio cum quibus coniun- cta 250	Apostolos uernacula lingua tradidisse Euangelium. 121
adolescentibus scriptura diui- na non tradenda 67	Apostolos linguam ad audien- tium sermonem accommo- dasse. 128. scripturam ne- mini denegasse 239
Aegyptij 50	per Apostolos qui intelligen- tur 205
ætatis superioris descriptio. 251	Aquinas. 287. Ligubardicæ schola princeps 108
agnus, Christi figura 232	Arcefilas 99
Albertus magnus 287	Archihæretici unde orti 347
Albigenses 92	A
Alexandri 287	archi-
Alexandriæ schola ab Aposto- lis erecta 75	
Ambrosius Auxentij succes- sor 184	
Andreas apostolus quibus po- pulis, & qua lingua prædi- cauerit 126	

I N D E X.

- architecti cura in edificio eri- gendo 159
- Aristoteles quare obscurita- tem affectauerit. 57. 252.
- quare reprehendendus. 253.
274. quomodo de rerum inijs doceat. 304. item de animo 305
- Aristoteles & Plato quales ar- chitecti 296
- Aristoteles & Plato philo- sophiae principes, nihil cer- ti tradunt. 303 (17
- Aristotelis praeceptor Plato. 227
- Aristotelis mentem qui me- lius assequuti sint 197
- Aristotelem naturam rerum non intellexisse. 304. in coelum uoluisse ascendere. 305
- Arius 337
- Arianorum nequicia quousq; peruenerit. 187. quan- ta fuerit potentia 185
- arma muliebria que 67
- ars quid in nobis agat 294
- artes ob facilitatem contem- ptas iacere 58
- artes quò referendae. 100. 252. quò omnes tendant. 272.
- artes in nobis natiuas esse. 294. quomodo percipi- antur 159-359
- artium doctrina qua sequen- da 102
- artium praecepta ex rerum ob- seruatione collegisse philo- sophos 130
- artium doctores, quam uerbi- plures esse 17
- Athanasius mortis terrore quò fugerit 186
- Athanasius de Ecclesiae affi- ctione 157
- Athanasij opera Graeca quis interpretatus 326
- auaritia proprium 229
- augures quare libros suos in uulgus emanare uoluerint. 227
- D. Augustinus. 25. 290. 291. quem praeceptorem habue- rit 16
- Augustinus senio cōfectus Ha- bras literas didicit 70
- Augustinus quare ab Hiero- nymo reprehensus 108
- Augustini de Bibliorum ob- scuritate sententia. 254.
- item de philosophia, quò nugae dicit 307
- Augustinum Peripateticis li- teris imbutum fuisse 75
- Augustiniani monachi. 201
- 242
- Auxentius Arianae factionis ponti-

I N D E X.

pontifex ubi	184	Bonaventura	287
B		Bononia rector Louaniensis.	
Babyion unde dicta	92.95	12. qualis uir	107 (329)
Baptismum omnibus communem esse	244	Borbonius poeta Gallicus.	
Bartholomæum Indis uernacula lingua prædicasse.	126	Bruxellenses theologi	287
Basilij opera quis Latina fecerit	325	G. Budæus.	324
beatitudinis præmium omnibus propositum	244	C	
bellum omnis ordinis hominibus gerendum	156	Cæsaris consilia pro mandatis censori	207
in Bello quid agatur	32	carmine aliquid uertere, cur difficile	328
Benedictini	242	Caroli V. Cæsaris literæ	97
Berilli Bosternæ in Arabia pontificis de Christo dogma	185	S. Castalio	320
Bernardi sententia	298	S. Castalionis Bibliorũ translationis qualis	326
Bernardi, quo spiritu scripturæ legendæ sint, sententia. 191. 298	(43)	Castiliæ regnum	86
Biblia quæ nobis proponant.	242	Cataloniæ populi	168
Biblia omni hominum generi tradita	320	Celsus quare Christianam religionem uituperauerit.	297
Biblia uertenti quot lingue sufficiant	320	Christus solus audiendus.	143
Bibliorum translationem à pontificibus prohiberi debere	93	Christus quale lumen	ibid.
Bibliorum traductio ad docendum & discendum utilis.	161. 162. 163	Christus doctorum doctissimus. 144. totius mundi sapientissimus	220
		Christus in quare sit imitandus	223
		Christus theologiae fundamentum à Paulo constituitur.	
		296. item Ecclesiæ fundamentum	318
		Christi doctrina similitudinis reserua.	263. 264
		Christi amor erga pueros.	278
		A 2	
		Christum	

I N D E X.

Christum in creandis Euange	lij doctorib. exemplum fe-	Clementis opuscula quis uer-	325
ciſe	15	terit	74
Christū uernacula, nēpe Sy-	riaca lingua docuisse	coelum nostra patria	23
224	124	coelorum motum paucis intel-	23
Christum docentem qui au-	dierint	ligi	23
224	224	conciones in anno tantum o-	167
Christum in sacris libris om-	nes alloqui	cto haberi in aliquibus lo-	179
243	243	cis	179
Christum ab omnib. uelle co-	gnosci	concionatores	179
358	358	cōcionatores scripturā uerte	179
in Christo, ueluti libro, quid	legendum nobis sit	re in linguā uernaculā. 135	179
228	228	concionatores præcipiendi	179
in Christo quæ nobis sint re-	presentata	qua uolunt potestatem ha-	144
241	241	bere, falsum esse	144
Christianum dici, laudabile.	267	concionatores & falli & fal-	146
267	267	lere posse	146
Christiani omnes theologi	268.270	concionatorum quanta pena,	166
268.270	268.270	ria	166
Christiani qua lege simus. 136		concionatorum scopus quis.	172
136	136		172
Christianos decet esse religio-	ſos	copiæ natura quæ	55
109	109	corporis alimenta	55
Cicero	17	cucullati monachi	20
17	17	curarum uacuitas in dormiē-	209
Ciceronis querela de immuta-	ta lingua Latina	do	209
86	86	Cyrilli aliquot opera à quo	326
Ciceroniani	80	uersa	326
80	80		326
Chrysostomus. 285. eiusdem	ad Bibliorum lectionē ad-		
248	248		
Chrysostomi opera qui Lati-	na dederint		
326	326		
326	326		
ciues ueteris fœderis qui	42		
42	42		
Clementis præceptor Petrus.			

I N D E X.

mos ediderit	121	Dei benignitas erga nos omnes celebranda	242
Decani Louaniensis decretū.		Dei cognitio quare omnium questionū difficilima.	265
90	345	Deū in scriptura habitare.	49
decipi, non scripturæ, sed hominum esse	72	Deum beneficia sua à nobis celari nolle	166
definitio	98	Deum animantes omnes ad destinatum finē ducere.	183
Democriti sentētia de ueritate	17	Deum non semper in ore haberi posse	209
Demosthenes	39	Deum non corporis, sed animi mundiciam amare.	216
Deus omnium rerum opifex.	138.	Deum se ad captum nostrum attemperare	264
39 doctor perfectissimus.	150	Deum nō uerba, sed res curare	356
138. scripturæ author.	190	Deo quomodo conciliemur.	157. 158
Deus solus nouit corda hominum	217	diaboli studium quale	193
Deus qualiter ab Apostolis nobis depictus	222.	dialecticæ usus	72
Deus medicus sapiētissimus.	225. 227	dialecticæ doctorum multitudo	174
222. cum quibus commercium habere prohibuerit.		dialecticam Theologo nō esse necessariam	295
225. 227		dialecticam ex eorū numero esse quæ nobiscum nascuntur	ibid.
Deus quot modis uoluerit nobis patefieri	229. 230	difficultas quomodo in uerbis	330. non in uerbis, sed reb. sita
Deus quale cum hominib. scēdus percusserit	246. 247	disputatio imperitiis quid	6
Deus quid iubeat de lege sua.	343	disputatio prioris libri quomodo	
Dei uoluntas	4. 8		
Dei exemplum quæ in re imitandum	120		
Dei, non hominis ueritatem esse consequendam	143		
Dei studium ubi ardentius colatur	237		

I N D E X.

modo instituta	363	plenam esse	306
ex Disputatione quæ existât.		Ethnicorum de Evangelio	342
6		studium	
disputationes tres in theolo-		Euangelij truculentiores ho-	299
gia difficilimæ quæ	264	stes qui	
docendi munus quib. commit-		in Euangelij qui semper pri-	
tendum	15	mi inuesti fuerint	317
ad Docendum de uoluntate di-		Euangelicæ doctrinæ scopus.	
uina qui admittendi	138	124	
doctrina institutione qui ma-		exempla hominum quantum	115
gis habeant opus	223	ualeant	
doctores Ecclesiastici ubi di-		Ezechielis de pastoribus que	169
screpent	28	rela	
Dominicani monachi	20. 115		
Dominicanos pro Thoma A-		F	
quinante pugnare	133	Fallacia homine indigna	72
E		filiorum quid maxime pro-	157
Ecclesia Græca num uersionē		prium	14
approbauerit	129	flagitiosum quid	323
Ecclesie subnascentis consue-		Flaminius	
tudo	ibid.	foedus nouum quare Hebrais-	202
Ecclesiam non omnia uide-		mis refertum	
re	146	foemina animal loquacissimū.	65
Ecclesiastæ duplex officiū.	92	7. imperfectum	
Erasmus Roterod.	324	foeminarum natura. 64. cum	66
Errores ex malo intellectu na-		uiris collatio	67
tos tolli, remedium certissi-		foeminarum munus	
mū	342	foeminas iudicio carere	64
Esaias deplorat corruptū pa-		foeminas in omni uirtutum ge-	
storum statum	169	nere excellentes in histo-	281
Ethicam morum imbecillita-		rijs reperiri	
tati mederi	274	foeminis cum uiris eadem sta-	65
Ethicen Aristotelis errorum		tura	
		foeminis sacros libros non per-	
		mittere	

I N D E X.

mittendos esse. 64. 65. 66. sine Græca lingua theologiã
 278 disci posse 292
 sœneratores à Christianorum Græcè qui sciuerint Apostolo
 communione excludi 37 rum tempore 122
 Franciscani 20. 115. 242. Gregorius de Bibliorum ob-
 fraternitatum leges 243 scuritate 254
 de Futuris certum statuere Gregorij Nisseni opera quis
 quid 336 uerterit 325. 326

G

Galeni *authoritas inter medi-*
 cos 132
 Galli 87. 201
 Galliarum populis quãta con-
 cionatorum penuria 168
 Gamalielis consilium 113
 Germaniæ inferioris penuria
 concionatorum 168
 Germanicam linguam uerbo-
 rû copia nulli cedere. 201
 Gerson 352
 Gorgie Leontini statua. 108
 in Grammatica non deesse in-
 stitutores 173
 Græcorum licentia in fingen-
 dis uocib. 334
 Græca Ecclesia. 346. quos
 theologos nobis pepercrit.
 ibid.
 Græca lingua quando ubique
 intellecta 117
 Græca lingua seminarium hæ-
 resum iudicata 292
 Græcæ linguæ difficultas. 80

H

Heretici 339
 hæreseos nomen horrendum.
 337
 Hebræa lingua qualis. 29.
 quo nomine quibusdam for-
 deat 200
 Hebræa lingua, horrida. 201.
 eius difficultas & antiqui-
 tas 76
 ex Hebrææ linguæ uarietate
 quid ortum 79
 sine Hebrææ linguæ peritia
 diuinam philosophiam in-
 telligi posse 291
 ex Hebræo in alias linguas
 scripturam bene uerti pos-
 se 323. 324
 Hebræos primùm sacræ scri-
 pturæ uersione permisisse.
 123
 Hetruscus sermo unde laude-
 tur 83
 Hieronymus quo præceptore
 usus 16. 130. 197

I N D E X.

Hieronymus quales mulieres ad Bibliorū lectionem ad- hortetur	282	prædicatorum natura	101
Hieronymus quo nomine af- fecerit philosophos	318	hominum disiectio ad Babylō- nem unde acciderit	333
Hieronymus Vida Cremonen- sis	328	hominibus quāta fides habenda	139
Hieronymi commoda in rē- pub. Christianam	70	honor & utilitas quos sequatur	250
Hieronymiani monachi	20	hostes interni qui hostium infinitis copijs nos circumueniri	154. 155
Hieronymum Peripateticis li- teris imbutum fuisse	75	I	
Hieronymum Dalmaticè scri- pturam conuertisse	331	Jacobus Zebedæi F. qua lin- gua loquutus	156
Hippocratis inter medicos au- thoritas	132	idiota sensuum diuinorum in- telligentiam adeptus quid agat	189
Hispania quando ceperit ha- bere libros sacros uersos in suam linguam	111	idiote quare ad scripturā ni- nus idonei uideantur.	288
homo ratione non utens quid.	68	idiotarum genera.	62. 273
homo ex quibus constet	153	idiotas quā philosophos ad Euāgelij doctrinam citius uenisse, qui factum sit.	209
homo animal logicum	295	impostores quomodo sua ira ctent	266
hominis quæ propria cogni- tio	4	incantamenta iuxta Plinium quæ	152
homini quid turpe	5	ingenijs magnis quid usue- niat	98
homines pij quid asequantur.	190	inhumanum quid inquisitorum societas quid in- terdixerit	14
homines impuro corpore qui 219. eos à scripturæ usu nō arcendos esse	ibid.	interpretandi ratio quæ ue- rior	210
hominum genera duo	68		inuen-
hominum excellenti ingenio			

I N D E X.

inuentio argumentorum quid præset	102	sacros proponere ediscendos	277
Ioachimus Perionius, Sz.	324	Iulianus quare Christianã religionem deriserit	298
Ioannes euangelista	323	Iuriscõsultorum functio.	260
Ioannes quare ad Euangeliũ scribendum coactus	350	iurisprudentiam florere Louanij	174
Iosias quare fleuerit	54	Iuuenius Hispanus	328
Iosue quale præceptum de retinendo legis uolumine derit Deus	204	L	
Ioua	240	Laborem creare molestiã.	195
Irenæus Lugdunensis pontifex, 142.358. quare merito ab Hieronymo reprehensus	196	in Labore dolor & molestia.	195.252
Israelitarum status sub lege uernacula lingua promulgata	119	Lactantij præceptor	16
Italiam habere uersos sacros libros	111	Latinae linguae dignitas.	71.
Itali	201	difficultas	80
Iudas quomodo immundus dictus	220	latinam linguam futuro theologo non esse necessariam.	292
Iudæi supersticiosi	123.277	Latinorum commentarij quare à Græcis superentur.	197
Iudæorum iniuria in Christianos	44.45	Latinos libros in uernaculam linguã elegãter uerti posse	327
Iudæorum mos in admittendis pueris ad sacra	238	Latine quæ nationes breui dicerint	125
Iudæos, ne scriptura in alienã linguã uerteretur, uarias ob causas impedire potuisse	123	Laurentius Valla	324
Iudæos infantib. statim libros		lectionem diuinam arma militiæ nostræ esse	358
		lectionum usus qui maximus	22
		leonis timiditas	310
		lex quare septimo quoq; anno	
		A 5	præce-

I N D E X.

præcepta legi	234
legis unum tantum librum retinere unde constitutum	235
legem ad omnium usum transcribere non concessum.	233
legum consuetudo	95
librum legis unicum à Mose relictum, quare	53
libri conscripti	178
libri sacri quare transferendi	
247. quare omnibus conspiciendi. 228. quare latini facti	131
libri, doctores mortui	178
libri prophani quid faciant.	
278	(222)
libri sacri languidis concedendi.	
librorum sacrorum cognitionem ad sacerdotes tantum pertinere	52
librorum sacrorum tempore Christi qualis & quantus usus	237
librorum constantia	178
librorum propheticoꝝ laus.	
214	
librorum obscuritate temporis multum insumi	253
libros propter doctorum copiam non reijciendos esse.	
275	
in Libris sacris repugnantiam inesse.	89

Ligubardica theologoꝝ schola	356
la	
Lingua uernacula qua intelligenda. 3. eiusdem difficultas. 83. deq; eadem quaestio nis dignitas	3
linguae cuilibet suas esse naturas proprietates	70
qua Lingua Deus per Moysen legem dederit	114
linguae non periturae quae. 87. quae primas agant. 29. in quo omnes sint pares	200
linguae quid. 289. 292. earum peritiam ad quid utilis.	69.
uarietas ubi orta	95
linguarum peritiam quare Apostolis data	125
linguis omnibus suam esse copiam	202
literae sacrae Christianae religionis fundamentum	318
ad Literarum sacrarum lectionem accedere qui digni habeantur	272
Lodoicus Strebæus	82
Louanij auditorum quantus numerus	174
Louaniensis schola. 329. eiusdem de libris uertendis sententia	10
Louaniensium theologoꝝ collegium	337

I N D E X.

M

- Magdalena scortum 224
 ex Magistri institutione neces-
 saria ad salutem disci pos-
 se 18
 magnetis natura 310
 Mahumetæi hostes Euāgelij.
 45. unde dicti 268
 Manes 185
 Maria mater Iesu 298
 Marottus poeta Gallicus. 329
 martyrij coronam multæ scæ-
 minæ asequute 281
 Mathematica quare pauci di-
 scant 23
 matronæ cuiusdam cum docto-
 re Parisiensi disputatio. 7
 matronæ prudentis officium.
 283
Matthews. 346. quando et qui
 bus literis Euāgelium su-
 um cōscripserit. 121. à quo
 id Græcum factum 323
 Mathias in Aethiopia præ-
 dicans, qua lingua usus sit.
 127
 medicina ad animi morbos
 quæ saluberrima 222
 mentis humanæ tenebræ. 310
 Messias legem aperuit 231
 minimi monachi 20
 Montanus 242
 337
 montes scripturarum qui. 193
 Moses qua lingua legem dede-
 rit. 120. quare tabulas le-
 gis in arcam incluserit. 232
 Mosi exemplum. 52. eiusdem
 admonitio de custodienda
 lege. 53
 mulieres non corpore, sed a-
 nimo imperfectas esse 66
 mulieres uiris quo ad animū
 pares 280. 282
 mulierum diuisio. 64. earum
 partes sibi inter se respon-
 dere 280
 mundi moles quā ob causam
 condita 228
 mutatio in uertendo non uer-
 borum, sed rerū fugienda.
 355
 muti quomodo intelligantur.
 339

N

- Natura rerum quib. constat.
 180
 natura omnium rerū dux &
 parens 253
 natura humanæ conditio.
 257
 naturæ definitio quomodo ab
 Aristotele tradita 304
 nominales cur quidam dicti.
 287
 nudus cur uestiendus 272

I N D E X.

- | | | | |
|---|-------------|--|----------|
| numeros Pythagoricos quare multi oderint | 23 | pastores diuini gregis, operamulare | 163 |
| O | | | |
| Obscuritas in scriptura cur necessaria | 254. 258 | pastores quibus similes esse debeant. 171. in quo deserant officium suum | 170. 181 |
| Occomanni | 287 | à Pastorum negligentia quãtã omnium ordinum infelicitas dimanet | 172 |
| offensionum genera duo. | 342 | pater noster | 116 |
| opinionum de uertendis libris sacris | 10. 11. 112 | patrum constitutio de non tangendis rebus sacris | 39 |
| opinionum uera unde. 113. item false. | ibid. | patres quosdam ex Theologia cognomen sibi comperasse | 61 |
| ex Opinionib. dubijs quæ nascantur mala | 6 | D. Paulus. 346. quib. populis Græcè scripserit | 122 |
| orandum semper esse | 209 | Paulus unde didicerit celestẽ philosophiam intelligere. | 312 |
| orationis genus creare difficultatem | 199 | Pauli ad Timotheum admonitio. 15. item ad Ephesios. | 93 |
| de Orationis suauitate qui potissimum gloriantur | 201 | Paulo quid faceberit negotium | 350 |
| ordinum uarietas unde | 114 | pauperes de Lugduno pecunie utilitas | 161 |
| Origenes. 69. 247. 285. 290. 291. in Platoniorum numero habitus. 75. ab Hieronymo reprehensus | 196 | Pelagius | 337 |
| Originis tempore septẽ Græca Bibliorum exemplaria. | 79 | Peripateticorũ labor in scriptis Aristotelis. 27. quantum ijdem tribuant, Aristoteli | 152 |
| Ouidius quare exulauerit. | 249 | petitio principij | 118 |
| P | | | |
| Palæstinorum de puteis concertatio cum Abrahamo & Isaaco. | 218 (142) | D. Petrus. 46. 346. quare Græcè | |

I N D E X.

Græcè euulgauerit suū E- uangelium	121. 122	philosophorū arrogantia un- de nata	315
Petrus Ligubardus scholæ the- ologicae fons	287	per Philosophiā homines as- suesieri contentionib.	302
D. Petro quid facefferit nego- cium	350	Plato. 327. diuinus. 132. philo- sophorum pater, Deus. 17.	
Petrus Marci Euangelium & acta Apostolorum di- stasse	122	Pythagoræ discipulus. ibi dem. 295	(245
Pharao Aegyptorum rex.	315	Plato quomodo scripserit.	
Philadelphus rex Aegypti.	322	Platonis qui, & quales disci- puli	26
Philosophia quid ostendat.	73	Platonis sententiam qui me- lius assequuti	197
philosophia basis theologiae.	73	Platonis disputationes	306
philosophia morū quid.	274	Platonem & Aristotelem phi- losophiæ principes nihil	
philosophia tenebræ. 300. diui- narum literarum euersio	300. 302	certi tradere	303
quare iudicanda.	301. 302	Politianus	324
philosophiæ Platonis quare pauci se dedant	23	pontificis officium. 35. 92. 176 322. 342	
philosophiæ doctrina omnis dubia. 302. incerta tracta- tio	304	pontificis non esse scandala ac- cepta propulsare	343
Philosophia de moribus, pu- eris non explicanda	63	pontifices, Dei promi condi- tio	44
philosophi ueteres. 57. archi- hæretici ab Hieronymo di- cti	318	pontifices interdum errasse. 142	
philosophorum monumenta nosse, præclarum	4	populus, ouile Dei 188. 189	
philosophorū cōsilia in quan- to sint precio	208	populus Romanus ab aliquo sine uerbis quomodo per- suasus	339
		populum per se posse scriptu- ram intelligere	194
		Porphyrius quare Christianā doctri-	

I N D E X.

doctrinam deriserit	298		
Possidius	307	Rabini.	26. eorundem indu-
sine Præceptorum auxilio ne-		stria quam fiat	197
minem doctum fieri	18	Rabinos Hebræorum inter se	78
Principes qua in re pessimè		pugnare	
agant	206	Rabinos ab alijs nationib. plu-	
Promissionib. Dei nõ credēs,		rimum uerba mutatos esse.	200
insimulat Deũ mēdacij.	192	Raimundi Lullij theologica	
prudentiam annis nõ compa-		opera cur dānnata	96
rari	273	ratio differendi	77
Ptolemæus Philadelphus	122	rationem humanam Euange-	
pueri ad scripturam inepti.		lio semper aduersari.	315
273		ipsius incōmoda. ibidem.	
pueri optimis morib. imbuen-		316	
di	275	regionem nullam sine heresi-	
pueros coelestia posse intelli-		bis fuisse	351
gere mysteria	278	religio quid	109
pueris nihil magni committē-		religio Christiana quomodo	205
dum	62	tollatur	110
pueris cur libri sacri non ne-		religiosi unde dicti	40. 41
gandi	274	reliquiæ Dei	311
Pythagoræ discipuli quam in		remora pisciculus	
disputando rationem tenu-		res quot modis nobis commē-	
erint	132	dentur	31
Q		rerum ignorantie detrimen-	
Quæstio de conuertendis li-		ta, & cognitionis emolu-	
bris in quo uersetur. 4. à		menta	5
quibus agitata sit	7	rerum cognitio quomodo pō-	
quæstionis de uernacula lin-		deranda	28
gua dignitas	3	rerum honestarum que natu-	
in Quæstionē omnia uertere,		ra	32
quorum proprium	99	rerum que oratione explicā-	
Quintilianus	17	tur	117

I N D E X.

tur difficultas duplex.	108	homo	310
rebus singulis sui limites	311	Saduceorum sententia.	314.
rebus publicis singulis suæ leges	33		350
reales cur & unde dicti	287	Salamandræ naturæ	311
rhetorica	211	Samaritanæ mulieris cum Christo colloquium.	224.
ex Rhetoricæ utilitatib. quæ maxima	ibid.	eiusdem diligentia	248
rhetoricam nostris theologis	293	Samofatenus 337. eiusdem hæresis	185
offensioni esse	293	sapientiæ natura	285
rhetoricam non esse necessariam theologo	293. 294	saxis inscribi uerba legis iussu	233
Richardus	287	scandala accepta, nõ data, ex scriptura nasci	348
ritus quis optimus	33	scandala quæ debeant prohiberi à Pontificib.	ibid.
Romani	30. 245	scientiæ comparandæ duo instrumenta esse	159
Romani quos libros ignibus tradiderint	149	Scotus. 287. à Franciscanis defenditur	133
Romanorum prouidentia de iuuenibus	148	scriptura sacra. 37. 120. mensura Dei. 43. uiuendi regula. 354. quare non uertenda. 36. 125. 332	
Romanos apud exterarum nationes linguam suam propagasse	136	scriptura cibis animi. 44. à quibus accipienda nobis. ibidem	
Romanam ecclesiam Bibliorum uersionem approbasse	130	scriptura basis nostræ fidei ab Irenæo dicta	159
		scriptura in uulgi sermonem translata plures in conclauiam sua admittit	195
		scriptura in uernaculâ expressa cur	

I N D E X.

- sa cur intellectu facilior.* 198
Scriptura ut ornatior sit, non uertenda 199
Scriptura quomodo satis ornata futura sit 203
Scriptura quando contaminetur 217. 218
Scriptura quare legenda. 228
Scripturae lumen. 158. *munus quale.* 229. *excellencia.* 49
sublimitas 58
Scriptura testamentum Dei. 246. *probitatis regula.* 284
Scriptura, qua ratione heresum materia afferat 346
Scriptura sacra quando in Valentianam linguam uersa. 111
Scripturae argumentum. 150. *authoritas, & ipsius utilitas* 151
Scripturae explicatio à quibus audienda 190
Scripturae implicatam cognitionem quibus Deus aperiat 191
Scripturae quomodo à pluribus edisci possint 195
Scripturae lectionem omnibus facilem esse 263
Scripturam in uulgares linguas exprimi, quomodo ma-
lum uideatur 10. 18
Scripturam sacram qui comendant 35
cum Scripturam legentibus, quomodo agat Deus 125
Scripturam neminem per se intelligere 175
Scripturam conuersam facilitatem fieri. 195. *& Rebus publicis utilem* 203. 204
Scripturam omnibus esse datam. 210. 211. *omnibus esse generi denegandam.* 219. *animi labem habentibus non esse adimendam.* 222
Scripturam sacram qui inquinati legere debeant 225
Scripturam alicui interdiceretur quid 229
Scripturam S. potius seorsum quam testamentum nominari posse 246
Scripturam in uernaculam linguam conuersam, non contemptum iri 249
Scripturam claram esse, mentis lucem esse 267. 358
Scripturam ex mala doctrina conscientiam fratris ledere 349
Scripturam animo adimens, quae

I N D E X.

que mala inferat	359	Deo alienus factus.	235.
in Scriptura quid nobis expli- cetur	38	Sorbona Parisiensis.	96.
à Scriptura neminem decipi, nec esse deceptum	147	329. eius decretum.	10. 292
seculi nostri felicitas quanta.	321	Stoici imitandi	110
Sententiarum uarietas unde e- manet	8	Stoicum quàm Academicum in Theologia agere, satius.	104
Sententiariorum disputatio- nes	108	Studiorum uia que tenenda.	137
Septuaginta interpretes	355	T	
Septuaginta interpretũ laus.	122.	Tabule sacerdotib. cõmissæ.	234
quomodo græcè scri- pserint. 202. in quem usum	239	Tarquiniij laus	51
uetus fœdus trastulerint.		temeritas specie mulieris de- pingenda	65
Septuaginta interpretum tra- ductio qualis	323	templum Dei quantæ religio- ni habitum	47
sermonem patrium cuiq; esse maximè cognitum	163	templum omnibus commune.	244
Siciliæ genius	108	tempore nihil preciosius.	162
à Siculis quale sumi possit exẽ- plum	212	Tertullianus de philosophis.	318
Socrates iudicatus sapientissi- mus	201	Theodoretus de calamitate Ecclesiæ	187
Socratis ratio disserendi unde orta	99	theologia. 60. 267. lux. 300. 308. unde discenda. 18. sine quib. rebus non queat per- cipi	69
Socratem stolidum iudicatum fuisse à Zophyro	101	theologia nihil melius, anti- quis, nobilius	296
solis & lune defectiones quo- modo obseruentur	55	theologiæ difficultas. 33. ob- scuritas	24
Solomonis animus unde à		theolo.	

I N D E X.

theologiae fundamentum phi-	75	ex Traductione qua militari	163. 173
lophia		Turelupini	93
theologiae uocabulum omnes		turpe quid	14
populos usurpasse	267	tyrannidi quid propriū.	229.
theologiam sine philosophia		V	
disci non posse	73	Valdenses	93
theologiam quo nomine Pau-		Valentia, à concionatorum	
lus commendat	297	frequentia laudata	167
theologiam humanis discipli-		uasa & uestes quid	39
nis non niti	299	uates in ueteri foedere senato	
ad Theologiam intelligendā		rij ordinis	42
quid conferat	29	uates quibus literis diuinam	
in Theologo quid inspicien-		uoluntatem prodiderunt.	
dum	293		121
theologi qui, & unde dicti.		uaticinia ueteris foederis.	263
60		uaticinia qui derideant	314
theologi superioris memoriae		uaticiniorum quorundam ob	263
quid statuerint	74	scuritas unde	
theologorum penuria	288.	uerbum Christi quomodo in	211
officium	322	nobis habitetur	
theologos etiam disfidere in-		uerbi functionem habentes	
ter se	9	quomodo sint affecti	140
theologis, rationibus prophe-		uerborum in Hebraea lingua,	
ticis & apostolicis uten-		penuria	200
dum	214	uerborum simplicium signifi-	330
Theophrastus Aristotelis di-		catio	
scipulus	17	ueritatem ab hominibus occul-	149
D. Thomas quib. gentib. &		tari	
qua lingua locutus	126	ueritatem omnibus chari esse	227
Thomas Linacer	324	debere	
Timotheus quo praecipore		ueritatem ceu Mino taurum	266
usus	16	qui includant	uersio
Titus Linius	327		

I N D E X.

uersio uulgaris	324	linguis conditio qualis. 333	
uersionem scripturæ minuere		uoluntatem Dei duob. uolis	
rem familiarem	33	minibus testatam extare.	
uersionem propriam cuiilibet	246		
scriptori fuisse	325	de Voluntate diuina qui præ	
uestes & uasa quid	39	dicare possint	15
Victorinus Pictauiensis ponti		uox quid	129
fix	142		Z
uiri boni qui	245	Zophyrus Physiognomon	
uocabulorum in uulgaribus	101		

F I N I S.

BASILEAE, EX OFFICINA MI-
 chaelis Martini Stellæ, Anno Christi M. D.
 LVI. Mense Martio.

1223117

CCN 1190979523

THE
OFFICE OF THE
SECRETARY OF THE
NAVY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.

NAVY DEPARTMENT
OFFICE OF THE SECRETARY
WASHINGTON, D. C.